

ACTA, ET DECRETA CAPITVLI GENERALIS

Murciensis die prima mensis Ianuarij præsentis anni 1658. celebrati.

IN QVO FVIT ELECTVS IN MAGISTRVM GENERALEM
totius Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum

PROVINCIALIS ARAGONIÆ

REVERENDISS. P. MAGISTER

FR. MARTINVS DE ALLVE.

✠

IN nomine Sanctißimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In honorem Beatißimæ semperque Virginis Dei Genitricis MARIÆ de Mercede, necnon Sanctißimi Patriarchæ Petri Nolasci nostri Ordinis Redemptionis captiuorum, ex reuelatione eiusdem Immaculatæ Virginis Fundatoris.

Notum sit omnibus hoc trasumptum inspecturis, lecturis, vel audituris, quòd pridie Kalendas Ianuarij anni Domini millesimi sexcentesimi quinquagesimi octaui, in ciuitate Murciensi, intra Monasterium sacri, & Militaris Ordinis Redemptorum B. Mariæ de Mercede, conuocatis, & in vnum congregatis Patribus in celebratione Capituli Generalis præfatæ Religionis vocem habentibus specialiter citatis, & vocatis, patentibus literis à Reuerendißimo P. M. Fr. Iacobo Castellar, Priore Regalis Monasterij, seu Conuentus sanctæ Eulaliæ ciuitatis Barchinonensis, & eo nomine totius prædictæ Religionis Vicario Generali, Magistratu vacante, ob liberam, & spontaneam renunciationem Illustrißimi, ac Reuerendißimi D. D. Fr. Ildephonsi de Sotomaior Archiepiscopi electi Ecclesiæ Oristanensis, prædicti Ordinis Generalis Magistri, admissam ab Illustrißimo, & Reuere[illegible]ßimo D. D. Camillo Maximo Patriarcha Hierosolymitano, & in Regnis Hispaniæ Nuncio, & Collectore Apostolico, cum facultate Legati à latere, die vigesima prima mensis Augusti delabentis anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi. Non obstante decreto ab eodem Illustrißimo Domino Nuncio emanato die decima quinta mensis Septembris prædicti anni, reformante primum aliud decretum de admissione renunciationis, vt sine præiudicio suæ iustitiæ vtraque pars de iure prætenso informaret. Quibus auditis, & in contradictorio iudicio informantibus idem Illustrißimus Dominus Nuncius Apostolicus declarauit, decreuit,

& iudicauit debere subsistere primum illud decretum de admissione renunciationis officij Magistri Generalis totius Ordinis. Vacante igitur Magistratu, & Præsidente in prædicto Capitulo Generali Reuerendissimo P. N. M. Fr. Iacobo Castellar Priore Barchinonensi, & eo nomine Vicario Generali totius Religionis, vi, & iure nostrarum sacrarum constitutionum capite quarto distinctionis 2. vbi stabilitum est, quòd vacante quouis modo Magistratu Ordinis, eius succedat loco in officio Vicarij Generalis Prior Barchinonensis, qui etiam in electione noui Generalis præsideat: personaliter conuenerunt Reuerendissimus P. M. Fr. Iacobus Castellar Prior Barchinonensis, Vicarius Generalis, & Præses Capituli. R. P. M. Fr. Martinus de Allue Prouincialis Aragoniæ. R. P. M. Fr. Hyacinthus Iuste Prouincialis Valentiæ. R. P. M. Fr. Franciscus Faure Vicarius Prouincialis Franciæ. R. P. M. Fr. Petrus Recaudou, Vicarius Prouincialis eiusdem Prouinciæ Franciæ. R. P. M. Fr. Ioannes Affensio Prouincialis Vandaliæ. P. M. Fr. Ioannes Arque, & P. Præsentatus Fr. Iosephus Prats Diffinitores Aragoniæ. R. P. M. Fr. Ioannes de Contreras Diffinitor Prouinciæ Castellæ. P. Præsentatus Fr. Iosephus Sanchis, & P. Præsentatus Fr. Petrus Noguera Diffinitores Valentiæ. P. Præsentatus Fr. Bartholomæus de la Plana Diffinitor Franciæ. R. P. M. Fr. Ioannes de Salzedo, & P. M. Fr. Rodericus Montiel Diffinitores Vandaliæ. P. Præsentatus Fr. Ioannes Crespo Diffinitor Limæ. P. M. Fr. Iosephus Ortiz Diffinitor del Cuzco. P. Præsentat. Fr. Vincentius Bruno Diffinitor Italiæ. R. P. M. Fr. Ludouicus Remirez de Arellano, & P. M. Fr. Dominicus Tarragona, Electores Aragoniæ. R. P. M. Fr. Ioannes de Fonseca, & P. M. Fr. Ludouicus Salzedo Electores Castellæ. R. P. M. Fr. Antonius Marigon, & P. M. Fr. Gregorius Ruiz Electores Valentiæ. P. M. Fr. Hieronymus de Vibar, & Pater Præsentatus Fr. Augustinus de Santiago Electores Vandaliæ. P. Prædicator Fr. Hieronymus Melisaro Elector Italiæ. Qui omnes numerum vigesimum sextum explētes, hora decima diurna, audita campana Conuentus, domum Capitularem ingredientes, antequam quidquā

aliud

aliud ageretur, eundem Reuerendissimum P. Vicarium Generalem, tanquam legitimum Præsidentem præsentis Capituli, iure nostrarum sacrarum constitutionum acceptauerint, & pro tali habuerunt vsque ad Canonicam electionem noui Magistri Generalis, absque exceptione, vel limitatione aliqua, idemque Præses instituit in Vicarium præsentis Capituli R.P.M. Fr. Ioannem de Salzedo Diffinitorem Generalem Prouinciæ Bethicæ, præsentem, & prædictum officium acceptantem.

Eodem die hora quinta vespertina, aut alia magis certa, de mandato Reuerendissimi P. N. Vicarij Generalis, & Præsidis, nola Capituli personante, congregatos omnes Patres Vocales in aula capitulari, idem Reuerendissimus salutauit, & breui piaque oratione peracta, qua ad quid conuenissent, prædictis Patribus exposuit, simulque eos ad electionem noui Magistri Generalis, viri sanctitate, prudentia, atque doctrina conspicui, vtpotè vniuersum gregem à Beatissima Virgine, & Matre de superis visibiliter descendente institutum moderaturi exhortatus est. Deinde Secretarium præsentis Capituli instituit, & nominauit Patrem Præsentatum Fratrem Didacum de Luna Diffinitorem Prouinciæ Aragoniæ ad hoc specialiter vocatum, qui iuramentum de seruanda fidelitate, & secreto, & de testimonio fideli omnium, quæ in præsenti Congregatione peracta fuerint, & ad instantiam cuiuslibet partis conferendo, in manibus prædicti R.P. Præsidis emisit: vnde ad qualificationem, seu examen eorum qui in præsenti electione legitimam vocem habituri erant, deuentum est. Quod, vt cum merito, & exactè fieret, primo, secundo, & tertio, in virtute Spiritus Sancti, & formali præcepto obedientiæ, sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ mandauit, quòd si aliquis suspensione, excommunicatione, aut aliqua iuris incapacitate ad suffragandum in præsenti electione innodatus extiterit, foras exiret: & qui conscius reatus alieni esset ipso facto manifestaret: quod si secus fieret, ex tunc pro nunc protestabatur, sicut de facto protestatus fuit talem, aut aliqualem nullitatem tacitam nullum posse, nec debere præiudi-

cium

cium inferre electioni Canonicæ primo manè ad Auroram faciendæ.

Tunc ex arrupto R. P. M. Fr. Franciscus Faure, tanquam Vicarius Prouincialis Galliæ, nomine suæ Prouinciæ, institit super præcedentia vocis, loci, & sedis, quam ab antiquo priorem prætendit habere loco, sedi, & voci Prouinciæ Valentiæ. Circa quod hoc sanctum Generale Capitulum pro nunc decreuit, quod alias in Capitulo Barbastrensi decretum est, scilicet, quod pro nunc præferat Prouincia Valentiæ Prouinciæ Galliæ, est enim quasi possessione vocis, loci, & sedis præeminentis, saluo & illæso iure vtriusque Prouinciæ, de quo ante Diffinitorium, aut Reuerendissimum Generalem eligendum concertari poterunt. Quo decreto partibus notificato, R. P. M. Fr. Franciscus Faure protestatus fuit, huiusmodi vocem, locum, & sedem nullum iuri suæ Prouinciæ debere, nec posse inferre præiudicium, cedebat enim pro nunc iuri suo ob euitandas dissensiones, remittendo se ad exactam, & plenariam informationem.

P. M. Fr. Iosephus Ortiz Diffinitor Generalis Prouinciæ Cusquensis, sibi obiecit scrupulum circa sulmmet suffragium; nam cum ipse electus fuisset Diffinitor in Capitulo Prouinciali Cusquensi celebrato Kalendis Iulij anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quarti, & triennium ad quod, & non vltra electus fuit, sit completum Kalendis Iulij præsentis anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi, dubitabat se habere vocē. Super quo matura consideratione habita, visoque decreto Clementis Octaui in corpore nostrarum constitutionum inserto, tenoris sequentis: *Præterea circa difficultatem itineris electorum ex Indijs, similiter decretum, & statutum fuit, vt semper, & quando Prouinciales, & Diffinitores Indiarum accedunt ad Capitulum Generale, vt electioni Magistri Generalis assistant, qui vis ipsorum admittatur, & recipiatur in Diffinitorio, & in electione; dummodo ostendant prius nominationem sui Capituli Prouincialis, cuius nominationis data non excedat quatuor annorum tempus, & dummodo non constet de ipsorum reuocatione.* Et testimonio suæ electionis quatuor annorum tempus non excedente, re-

reuocationisque non apparente, vocem legitimam habere decretum est.

Dubitatum fuit, quo iure P. Præsentatus Fr. Vincentius Bruno, Diffinitor, & P. Prædicator Fr. Hieronymus Meliraro, Elector, conabantur in præsenti Capitulo habere suffragia, cum electi non fuissent à Capitulo Prouinciali Italiæ, & Siciliæ proximè celebrato. Exhibitoque ab ipsis Breue Sanctissimi D. N. Alexandri Septimi, quo confirmabat eorum electionem à R. P. Vicario Generali Italiæ factam, cum quibus super quacumque nullitate iuris, constitutionis, aut consuetudinis dispensabat: tanquam legitimi Vocales, à toto sancto Diffinitorio, nemine discrepante, admissi fuere.

Pari ratione dubitatum fuit de suffragio P. M. Fr. Dominici de Tarragona Electoris Aragoniæ; sed cum comparuisset renunciatio talis vocis, à P. Magistro Fr. Ioanne Prudencio, legitimis de causis facta; & nominatio Electoris Generalis, in fauorem P. M. Fr. Dominici Tarragona à Diffinitorio Prouinciali Aragoniæ fuerit ostensa, nemine discrepante, declaratum fuit legitimam in præsenti Capitulo habere vocem.

Deinde in eodem examine, & qualificatione, persistente Diffinitorio, cum intra illud actu præsentes essent R. P. M. Fr. Franciscus Faure Vicarius Prouincialis Frãciæ assertus ex vna parte. Ex alia verò R. P. M. Fr. Petrus Recaudou, etiam Vicarius Prouincialis eiusdem Prouinciæ Franciæ assertus, & vno nomine eodemque titulo Vicarij Prouincialis Prouinciæ Franciæ suffragium, in prædicto Capitulo Generali habere contendẽtes. Visis, & examinatis à Capitulo pleno illorum titulis, quin & audita vtraque parte de iure suo prætenso, fusè satis informante, & minimè inter se se conueniente. Cùm prælectum fuisset decretum Capituli Generalis Toletani, à fœlicis recordationis Vrbano Octauo confirmatum, quod est huiusmodi: *Quoniam longa experientia constat Religiosos Prouinciæ Franciæ, suis ordinarijs litibus, & schismatibus, Capitula Generalia turbasse: statuimus, vt quotiescumque ad Capitulum conuocati lite inter ipsos, aut schismate habito, duplicati Vocales venerint, nullatenus ad*

habendam vocem a Capitulo admittantur, sed fine ipsis procedatur ad electionem; qua finita in Diffinitorio lites eorum decidantur, & componantur. Ideò sacrum Diffinitorium, huic decreto innixum, statuit in præsenti Capitulo, neutrū ex prædictis Patribus Vicarijs Prouincialibus Franciæ prætensis, habere vocē ad electionē Generalis. Sicque decreuit, remittendo litis decisionem partiumque compositionem, ad Diffinitoriū, finita electione, in præsenti Capitulo peragendum. Qua declaratione partibus notificata, ab ipsisque admissa, exierunt à Capitulo, seu loco Congregationis, patientes, & consentientes se exclusos à Capitulo, nec vocem habere in præsenti electione.

Similiter, virtute conuocatoriæ patentis à Reuerendissimo Priore Barchinonensi, Vicario Generali in Galliam missæ, comparuit in præsenti Capitulo P. Præsentatus Fr. Bartholomeus de la Plana, Diffinitor Generalis Prouinciæ Galliæ assertus. Visisque, & examinatis suis titulis, sine approbatione, & roboratione Illustriss. Domini Nuntij Apostolici, in Curia Christianissimi Regis existentis, allatis; iuxta decretum à SS. fœlicis recordationis Vrbano Octauo, in corpore nostrarum sacrarum constitutionum insertum, asserensque: *Ne verò, vt assolent hi, qui legitimi Vocales sunt, suas voces, sine legitima causa substituant, statuimus omnino seruari, quod alias sæpè statutum est, vt qui ex prædicta Prouincia Franciæ, ad Capitulum conuocati aduenerint, sua testimonia approbata per officium Reuerendissimi Nuntij Apostolici, in Curia existentis Regis Christianissimi deportent: secus verò ad habendam vocem non admittantur.* A sancto Capitulo in præsenti electione suffragio carere decretum est.

Sequenti die, scilicet feria tertia Kalendis Ianuarij, ad primam lucem anni incepti millesimi sexcentesimi quinquagesimi octaui, cymballo pulsato, vt moris est, de mandato Reuerendissimi P. Prioris Barchinonensis, Vicarij Generalis totius Ordinis, & Præsidis præsentis Capituli, omnes Patres voce in hac electione fungentes, pariter in eodem loco congregati, Missam de Spiritu Sācto, & sermonem idiomate Latino, quo ad electionem Magistri Generalis doctrina, & sanctitate pollentis moni-

ni-

niti, à Religioso idoneo, discretoque Ordinis Lector e audiuere: Hymnoque Veni Creator Spiritus, curbatis genibus concento, Patres Vocales iussu Reuerendissimi Presidis, proprijs nominibusnumerati, iuxta numerū superius positū, & exclusionē hesterna die factam P. M. Fr. Francisci Faure. P. M Fr. Petri Recaudou, & P. Præsent. Fr. Bartholomei de la Plana, viginti & tres vocem legitimam ad præsentem Magistri Generalis electionem faciendā habere reperti sunt. Quos Reuerendiss. Præses semel, iterum, atque iterum monuit excommunicatos, suspensos, & interdictos (si qui essent in dicto Conclaui) recedere a præsenti electione, cum de iure interesse non possent, protestando non esse mentem ipsius aliquem illorum admittere, & si occultè se ingesserint, dixit se nolle eorum vocibus dari suffragium, aut ab ipsis impedimentum inferri.

Deinde omnes suffragantes iurarunt, per Deum, & sancta quatuor Euangelia, atque in animæ suæ periculū, quòd secundùm Deum, & propriam conscientiam, eligent Magistrum Generalem totius Ordinis, quem iudicauerint meliorem & magis idoneum. Quo iuramento facto, per vota, & suffragia secreta, & per schedulas, ab ipsis Patribus Vocalibus allatas, in vas prius aptum, & dispositum coniectas, ad scrutinium ventum est. Et Reuerendiss. F. Vicarius Generalis Præsidens, duoque ex Diffinitoribus professione antiquioribus R. P. M. Fr. Ioānes de Cōtreras, scilicet & P. M F. Rodericus de Mōtiel, cum Secretario Capituli suffragia prædicta scrutati sunt, & cum viginti & tres essent Vocales, totidem schedulæ inuentæ sunt, in quarum vna scriptum erat R. P. M. Fr. Ludouicus Remirez de Arellano, & in reliquis viginti duobus R. P. Magister Fr. Martinus de Allue Prouincialis Aragoniæ: atque ideo in Magistrum Generalem totius nostri sacri Ordinis legitimè, & canonicè, & secundùm sacrosanctum Concilium Tridentinum, electus fuit Reuerendissimus Pater Magister Frater Martinus de Allue Et incontinenti, postquam vniuersæ Congregationi suffragantium huiusmodi electio declarata est, prædictus Reuerendissimus P. Magister Fr. Martinus de

Alluc Generalis electus coram Electoribus, & Secretario Capituli, secundùm formam nostrarum sacrarum constitutionum iuramentum præstitit per Deum, & Crucem, & sancta Dei Euangelia manibus suis spontè attacta, quòd secundùm Deum, & propriam conscientiam, & constitutiones Ordinis reget, & gubernabit, omni odio, & amore postpositis prædictum Ordinem, & constitutiones illius seruabit, & ea, quæ pro pace cum Prouincijs Ordinis à suis prædecessoribus approbata, & seruata fuere, & quod fideliter, & diligentissimè exequetur quæ ad Redemptionem captiuorum pertinent, cum ad hunc finem Ordo noster sit institutus, nec in aliquo prædicta bona Redemptionis, vel Ordinis defraudabit, vel quouis colore in proprios vsus conuerteret, sed quod omnium bonorum quouis modo ad Ordinem nostrum spectantium in Capitulo reddet rationem. Simili modo iurauit, ratam habere, & obseruare concordiam cum nostra Familia Discalceata factam circa ministerium Redemptionis, prout in ea continetur. Quo iuramento facto statim omnes prædicti Patres Vocales se prosternentes eidem Reuerendissimo P N. Magistro electo Generali totius Ordinis obedientiam præstiterunt, & Cantoribus incipientibus, Te Deum laudamus, ad Ecclesiam processere, in qua orationibus consuetis recitatis, omnes prædicti Patres Vocales, simulque quãplurimi alij ex Prouincijs Hispaniæ Italiæ, Franciæ, Indiarum, & ex corpore Ordinis præsentes Fratres obedientiam præstarunt. Quorum omnium, & singulorum Ego infrascriptus Capituli Secretarius fidem facio, atque verum testimonium perhibeo.

Sequenti die, scilicet feria quarta, postridie Kalendas Ianuarij, hora ferè octaua matutina, de mandato N. Reuerendissimi Patris Generalis electi, conuocatis omnibus Patribus præsenti Capitulo suffragantibus, Reuerẽdissimus ipse gratias egit de vnitate, pace, & concordia, qua electio celebrata fuit: proposuitque intentum præsentis Congregationis, & Capituli fore, vt schedulis secretis, & Canonica electione, iuxta Motum proprium Sixti V. in corpore nostrarum constitutionum insertum, di-

distinctione secunda, capite secundo, eligerent, & nominarent Conuentum, siue Monasterium in quo celebrandum erat Capitulum Generale immediatè futurum; & quia Magister Generalis futurus, eligendus erat ex Corona Castellæ, inclusis Prouincijs Vandaliæ, & Indiarũ, & consequenter Capitulum Generale celebrandum erat in aliquo Conuentu Coronæ Aragonum; ex quibus minus distantia, & magis commoda videbantur Monasteria ciuitatum Cæsaraugustæ, Bilbilis, & Oscæ, in Regno Aragoniæ, ex quibus, vel ex alijs eiusdem Coronæ Aragoniæ, vnum per secreta suffragia eligere poterant. Singuli schedulis secretis propria manu exaratis suffragia dedere Quibus computatis à N. Reuerendissimo P. Generali electo, assistentibus R. Patribus Magistris Fr. Ioanne de Contreras, & Fratre Roderico Montiel Diffinitoribus Generalibus, professione antiquioribus, vt in nostris sacris constitutionibus disponitur, repertæ fuerunt viginti & tres schedulæ totidem Patribus Vocalibus correspondentes, quæ omnes suffragabant Collegio vniuersitatis, siue Monasterio ciuitatis Oscensis Regni Aragoniæ, quibus canonicè electum fuit in capitularem domum, ad Capitulum Generale immediatè futurum Collegium, & Monasterium ciuitatis Oscensis.

Eadem sancta Congregatio plena statuit, & decreuit certiorem facere Sanctissimum Dominum Alexandrum Papam VII. de noui Generalis electione canonica, vt illam sua authoritate confirmet; pro qua procuranda Romæ idem sanctum Diffinitorium vnanimi consensu, Patri Procuratori Generali Ordinis in Curia Romana existenti, vel cuilibet alteri eius vices gerenti, vel alteri personæ iudicio N. Reuerendissimi P Generalis electi, ad intentum magis idoneæ, commissionem, & procurationem concedit: literasque authenticas idiomate Latino, suo exemplari fideliter correspondentes, de quibus fidem facio ego infrascriptus Secretarius Capituli, proprio nomine Reuerendissimi P. N. Generalis electi, omniumque in dicto Capitulo Generali suffragantium signatas, adstante Andrea Calas Notario Apostolico, & de Numero Curiæ Episcopalis Carthaginensis mecum testi-

stificante, prædicto procuratori ad impetrandam confirmationem præfatæ electionis tradi debere, iussit, & decreuit.

Eodem die hora ferè septima vespertina, noster Reuerendissimus Generalis electus sono campanæ pulsatæ, iussit congregari Diffinitorium, cui adstarunt idem Reuerendissimus Generalis electus, Patres Prouinciales, & Diffinitores Generales omnium Prouinciarum, ad peragenda varia negotia bono regimini Religionis vtiliora.

Primo actum est ab hoc sancto Diffinitorio, de eligēdis nominandisque Vicarijs Generalibus Indiarum, tam pro Prouincijs Regni Perulensis, quàm pro Prouincijs Nouæ Hispaniæ, prout disponitur in nostris sacris constitutionibus. Propositisque aliquibus Patribus benemeritis talique honore valdè dignis. N. R. Generalis electus, de consensu vnanimi totius sancti Diffinitorij instituit, & nominauit in Vicarium Generalem Regni, & Prouinciarum del Peru R. P. M. Fr. Ioannem de la Calle, filium Prouinciæ Bethicæ, & in Vicarium Generalem Regni, & Prouinciarum Nouæ Hispaniæ R. P. M. Fr. Ioannem de Contreras pro Prouincia Castellæ in præsenti Capitulo Diffinitorem Generalem, seruando alternum ius à nostra sacra constitutione dispositum, in nominandis, & instituendis Vicarijs Generalibus Indiarum. De tantorumque virorum electione sacrum Diffinitorium N. Reuerendissimo P. Generali electo gratias retulit: ingressusque Reuerendus P.M. Fr. Ioannes de Contreras acceptauit officium Vicarij Generalis Nouæ Hispaniæ, & toti Diffinitorio gratias egit. Deinde vniuersum Diffinitorium cessit, & commisit suam plenam potestatem nominandi, & instituendi nouos Vicarios Generales Indiarum N. Reuerendissimo P. Generali electo, casu quo ante celebrationem noui Capituli Generalis quocumque modo prædicta officia vacare contigerit.

Similiter actum est de institutione, & nominatione Procuratorum Generalium totius Religionis, tam pro Curia Romana, quàm pro Regia Catholica, habitaque ma-

matura consideratione solicitudinis, fidelitatis, & honoris quibus Pater Magister Frater Michael de Alcantara, filius Prouinciæ Bethicæ in Curia Romana deseruijt. N. Reuerendissimus Generalis electus, de consilio sancti Diffinitorij, de nouo instituit Procuratorem Generalem Curiæ Romanæ eundem Patrem M. Fratrem Michaelem de Alcantara. Itidem nominauit in Procuratorem Curiæ Catholici Regis Hispaniarum P. Præsentatũ Fratrem Antonium Montes de Porres; quorum defectu, vel absentia, aut casu quo prædicti Procuratores Generales legalitate, & fidelitate qua debent, officia sua non expleuerint, N. Reuerendissimus Generalis electus, facultate ad hoc specialiter à sancto Diffinitorio commissa, procurationes illorum reuocare, & ab officijs suspendere, de nouoque alios Procuratores in vtraque Curia poterit instituere. Item statuit, quòd Procurator Generalis Curiæ Catholici Regis non possit subrogare, aut substituere suam procurationem, etiam in absentia, sine proprio consensu, & expressa præeunte voluntate N. R. Generalis electi, aliàs quodcumque virtute substitutæ procurationis factum, ex tunc tanquam irritum, nullum, & inane decreuit.

Nominati fuere computatores præsentis Capituli Reuerend. P. M. Fr. Ioannes de Salzedo Diffinitor Generalis, & P. Præsentat. Fr. Augustinus de Santiago, Elector Generalis pro Prouincia Bethicæ, vt computarent ea quæ recepit, & consumpsit Illustriss. & Reuerendiss. Dominus D. Fr. Ildephonsus de Sotomaior Archiepiscopus Oristanensis, de Consilio Catholicæ Maiestatis, dum totius Ordinis Magister Generalis extitit; tum etiam, quæ recepit, & consumpsit Reuerendus P. Magister Frater Iacobus Castellar Prior Barchinonensis quatuor mensibus, quibus iure nostrarum constitutionũ officio Vicarij Generalis totius Ordinis fuit potitus; tum etiam sumptuum præsentis Capituli; tum denique ea quæ receperunt pro redimendis captiuis de Argel P. M. Fr. Ignatius Vidondo Redemptor pro Prouincia Aragoniæ, & P. Præsentatus Fr. Gaspar Esteue Redemptor pro Prouincia Valentiæ.

Actum etiam fuit à sancto Diffinitorio, de facultate, & potestate R. P. Prioris Barchinonensis, tanquam supremi Religionis capitis, & Vicarij Generali totius Ordinis, de, & super confirmatione graduum vaccantium tempore quatuor mensium sui regiminis; & hoc sanctū Diffinitorium, nemine discrepante, declarauit R. Patrē Priorem Barchinonensem ratione officij prædicti, habere sufficientem facultatem, & authoritatem ad confirmationem graduum conferendam iure nostrarum sacrarum Cōstitutionum dist. 2. cap. 4. his verbis: *Vicesque, & potestatem Magistri Generalis in omnibus, prout in his constitutionibus sancitur, habeat:* præterquā quod idipsum iam declaratum, & decretū fuit à duplici Capitulo Generali Optensi, scilicet, & Barbastrensi proximè celebratis; & consequenter sufficiēti, & legitima facultate R. P. M. F. Iacobū Castellar Priorē Barchinonensem, & Vicariū Generalē totius Ordinis, confirmasse in gradu Magisterij P. M. Fr. Ildephonsum Lopez, & in gradu Præsentaturæ P. Præsentatum Fr. Iosephum Gonçalez, filios Prouinciæ Castellæ, & si oportuerit, aut necesse fuerit hoc sanctum Diffinitorium præsenti decreto confirmat hos duos, & quoscumque alios gradus à R. P. Priore, & Vicario Generali tempore sui regiminis concessos.

Item ad pleniorem obseruationem Motus proprij SS. fœlicis recordationis Vrbani VIII. de expulsione Regularium delinquentium, iuxta id quod similiter decretum est in Capitulo Generali Barbastrensi proximè celebrato, hoc sanctum Diffinitorium in singulis Prouincijs totius Ordinis sex Consultores designauit, quatuor scilicet Prouinciæ Diffinitores, & duos Diffinitores Generales, & cuiuslibet illorum defectu duos Electores Generales, de quorum sex consilio R. Magister Generalis poterit in criminosos, & incorregibiles expulsionis ferre sententiam.

Nuntiatum est sancto Diffinitorio, quòd in Conuentu Toletano Prouinciæ Castellæ celebratum fuit Capitulum Prouinciale eiusdem Prouinciæ die decima septima mensis Octobris anni præteriti millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi. Vacante Ordinis Magistratu, ob

liberam, & spontaneam renuntiationem factam ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Fr. Ildephonso de Sotomaior, Archiepiscopo electo Ecclesiæ Oritanensis, in manibus Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Camilli Maximi, Patriarchæ Hierosolymitani, Nuntij, & Colectoris Apostolici in Regnis Hispaniæ, necnō cum facultate Legati à latere, à quo prædicta Magistratus Ordinis renuntiatio, die vigesima prima mensis Augusti prædicti anni fuit admissa. Maturaque facti Capituli Prouincialis consideratione habita, visoque iure nostrarum sacrarum Constitutionem cap. 4. dist. 2. vbi vacante quouis modo Magistratu Ordinis, dicitur: *Religio in eodem prorsus statu perseueret, sicut fuerat ante vacationem Magistratus.* Et simili decreto Capituli Generalis in ciuitate Guadalfaxarensi de anno millesimo sexcentesimo decimo octauo, confirmato à Sanctitate Gregorij XV. sub datum Romæ die octaua Augusti, anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, quo expresse, & clausula irritante prohibetur celebrari aliquod Capitulum Prouinciale, Magistratu vacante, vsque ad nouam Magistri electionem. Vniuersum Diffinitorium, nemine discrepante, præsenti decreto declarauit prædictum Capitulum Prouinciale Toleti celebratum Prouinciæ Castellæ nullum, atque illegitimum, & nullius roboris esse, vtpote contrarium iuri nostrarum constitutionum, decreto Capituli Generalis Guadalfaxaræ edito, & Breui Sanctitatis Gregorij XV ita decreuit hoc sanctum Diffinitorium, saluo decore Sedis Apostolicæ circa præfati Capituli declarationem; Rursusque Diffinitorium commisit Reuerendiss. Generali electo, vt qua poterit via, & ratione, paci, quietique obseruantiæ regulari, & conscientiarum leuamini, prædictæ Prouinciæ Castellæ consulat, & quæcumque media ad eam sedandam, & ad concordiam reducendam conducentia, qua poterit breuitate, exequatur: ad quæ omnia præter ipsius Magistri Generalis electi potestatem Diffinitorium, quam habet eidem Magistro Generali electo concessit, approbauitque ex tunc omnia pacis, & concordiæ media, ac si cum toto eodem Diffinitorio fuerint stabilita.

Si-

Similiter in executionem supradicti decreti SS. Domini Vrbani VIII. & iuxta decretum, & stabilitum in primo Diffinitorio præsentis Capituli, actum fuit de litibus Prouinciæ Franciæ decidendis, eorumque negotijs componendis. Et vtraque parte informante, collatoque inter se vtriusque iure, visoque quod ex vna parte, videlicet P.M.Fr. Petri Recaudou, Capitulum Prouinciale præteritum Parisijs actum fuit celebratum, contra ius nostrarum constitutionum, & contra ordinationem, & expressam voluntatem Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini D.Fr. Ildephonsi de Sotomaior Archiepiscopi Oristanensis electi, tunc temporis Magistri Generalis totius Ordinis. Qua de causa, & ob plures alias nullitates, prædictum Capitulum Prouinciale Parisiense hucusque non fuit confirmatum, nec confirmari debuit. Viso etiã ex alia parte, videlicet R.P.M.Fr. Francisci Faure, quod ex eius Vicariatu Prouinciali (quãuis benè, & laudabiliter se gesserit) innumeræ lites in Francia exortæ fuerint, quarum compositioni studere, sanum esset pro bono Religionis, & totius dictæ Prouinciæ diuersis medijs, & compositionibus hinc, inde tentatis, per aliquos Patres Diffinitores huius Capituli Generalis, quibus à toto sancto Diffinitorio hæc cura fuit commissa, vt cum partibus priuatiuè super hæc negotia colloquerentur. Visis denique videndis, cupiens hoc S. Diffinitorium Prouinciæ Franciæ pacem, animorumque vnionem pro maiori Dei gloria, & obseruantia Regulari. Primum exhibita à P.M. Fr. Petro Recaudou procuratione sua originali, virtute cuius agebat partes R. P. M. Fr Michaelis Auoury Prouincialis electi, & Prouinciæ Franciæ, nomine vtriusque, & virtute dictæ procurationis destitit ab appellatione per ipsos ad Sanctissimum, in hoc negotio interposita, veluti si interposita non esset, cessitque iuri suo, & suarum partium, illudque in manibus sancti Diffinitorij Generalis resignauit Similiterque Reuerendus P.M.Fr. Franciscus Faure, qui partes suas agebat, iuri suo cessit, illudque in manibus sancti Diffinitorij resignauit. Igitur de consensu omnium, & prædictarum partium, decreuit hoc sanctum Diffinitorium, & pronuntia-

tiauit: quòd pro nunc permittebat, & tolerabat gubernationem dictæ Prouinciæ Franciæ, ita vt omnia prout nunc sunt in eodem prorsus statu permaneant, vsque ad celebrationem nouæ Congregationis, seu electionis Prouincialis; & quod hoc sanctum Diffinitorium ea authoritate, qua fungebatur omnes, & quoscumque defectus, in præfata gubernatione sustinenda, & toleranda compertos, eo meliori modo, quo poterat supplebat, & dispensabat.

Item circa nouam electionem peragendam decreuit, quòd infra nominandi Patres citius, quam poterunt (tẽpore quadragesimali excepto, & dummodo vltra Dominicam *Cantate*, decurrentis anni illud non protrahant) speciali Congregatione nomine totius Prouinciæ Franciæ conueniant, in eaque nouos Prælatos dictæ Prouinciæ Prouincialem scilicet, Diffinitores tam Prouinciales, quàm Generales, Electores Generales, Commendatores, ac reliquos officiales in Capitulo Prouinciali eligi, & nominari solitos, eligant, & nominent. Similiterque acta, seu decreta in Capitulo Prouinciali pro maiori reformatione, & bono regimine dictæ Prouinciæ fieri solita, statuant, & decernant, ad quæ omnia, & singula peragenda, vt sumptus Prouinciæ, vocaliumque peregrinationes vitentur, ob aliasque grauissas rationes animum sancti Diffinitorij mouentes de cõsensu vtriusque partis decreuit prædictam Congregationem particularem fore celebrandam in Conuentu nostri Ordinis ciuitatis Burdigalensis, & in ea ad præfatas electiones, & supradicta peragenda sequentes tantum, & non alij ingrediantur, & conueniant, Reuerendi nempe Patres M. Fr. Nolascus Tillhol, M. Fr. Michael Aubury, M. Fr. Franciscus Faure, M. Fr. Petrus Ducastain, M. Fr. Ioannes Roux, M. Fr. Hieronymus Roux, M. Fr. Petrus Recaudou, & Præsentatus Fr. Bartholomeus de la Plagne; ex quibus hoc sanctum Diffinitorium nominauit, & constituit in Præsidem dictæ Congregationis ad omnes electiones, decreta & supradicta peragenda R. P. M. Fr. Nolascum Tillhol, ita quod tale officium, & præsidentia non nisi finita Congregatione, & supradictis peractis ex-

piret, & finiatur. Vlterius idem Diffinitorium elegit, & designauit in Secretarium dictæ Congregationis P. M. Fr. Petrum Recaudou, ita tamen, quod ante omnia solemne iuramentum de secreto, & fidelitate seruanda, & de testimonio fideli conferendo omnium quæ in dicta Congregatione acta fuerint iuxta, & ad instantiam cuiuslibet legitimæ partis in manibus prædicti Præsidis solemniter emittat. Præterea declarauit hos præfatos Patres, & singulos eorum in tali Congregatione, non tantum voce actiua, verum etiam passiua, ad omnia officia, & dignitates eiusdem Prouinciæ gaudere, dummodo alias legitimo impedimento ex iure communi, vel nostrarum constitutionum non sint innodati, & impediti.

Cæterum quia ad aures huius sancti Diffinitorij venit aliquos Religiosos dictæ Prouinciæ lite pendente à R.P.M.Fr. Francisco Faure Vicario Prouinciali excommunicatos fuisse: sanctum Diffinitorium pro salubriori animarum quiete, ea authoritate maiori qua fungitur omnes, & quoscumque fratres prædictæ Prouinciæ Franciæ alumnos ab omni excommunicationis sententia, vel Ecclesiastica censura in illos per talem Vicarium Prouincialem lata ex tunc absoluit, & absolutos esse declarauit, & omnes ac quoscumque Religiosos alias ex iure communi, & speciali nostrarum Constitutionum idoneos ad quodlibet munus, officium, & dignitatem dictæ Prouinciæ legitimos, & idoneos, voceque passiua frui decreuit.

Denique statuit, & declarauit triennium officiorum, tam Prouincialis, quàm Commendatorũ, ac omniũ quæ in dicta Congregatione fuerint nominata computãdum fore à die qua dictæ electiones actæ fuerint, vsque ad Dominicam *Cantate* anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi. Quæ omnia iuxta supradicta legitimè peracta à tali Congregatione, sanctum Diffinitorium ex tunc laudabat, & approbabat, dummodo cuncta ad Reuerendissimum Magistrum Ordinis pro eorum confirmatione remittatur, ab illoque approbentur, & confirmentur. Hæc omnia sic statuta, & decreta vtrique parti fuerunt notoriè facta, ab illisque admissa, proprijsque ma-

nibus & nominibus conscripta, testimonio speciali in libro maiori inserto, de quibus infrascriptus Secretarius Capituli fidem facio.

Præterea hoc sanctum Diffinitorium vtilitati Prouinciarum Nouæ Hispaniæ, & del Peru in Regnis Indiarum Occidentalium, earumque leuamini consulens, ne superfluis sumptibus, & contributionibus nimis grauentur decreuit, vt de cætero contributiones pro vestuarijs Magistri Generalis in illis Prouincijs fieri solitas minimè fiant (eisque Generalis electus pro se, & successoribus suis in quantum poterat renuntiauit) sed pro vestuarijs Magistri Generalis, & sumptibus Procuratoris Generalis Curiæ Romanæ, & negotijs, seu litibus in ea occurrentibus designauit sanctum Diffinitorium medietatem cōtributionum, quæ in illis Prouincijs pro vestuarijs suorum Vicariorum Generalium fiant, iuxta ea quæ fieri consueuerunt, ita vt tales contributiones in duas æquales partes diuidantur, quarum altera Magistro Generali in Hispaniam mittatur, altera ipsis Vicarijs Generalibus, pro sui officij sumptibus designetur.

Rursus habita consideratione laborum, quos Patres Vocales ad præsens Capitulum concurrentes in itineribus sunt passi, & experti, hyemalibusq; molestijs glatierum, & niuium pluuiarum, & gelium, fluminumque inundantium summoperè sint vexati, quodque eadem incommoda ad complementum sexsennij euentura timentur, hoc sanctum Diffinitorium tot calamitatibus occurrere satagens, earumque molestias euadere cupiēs, complemētum sexsennij, seu gubernium noui Generalis electi haud esse iudicandum expletum vsque ad vigiliā Pentecostes anni millesimi sexcentesimi sexagesimi quarti feria attentione decreuit; supplexque, ac humile exorat Sanctissimum quatenus super prorogatione dicti officij, seu Magistratus Generalis à die prima Ianuarij prædicti anni sexagesimi quarti, vsque ad dictam vigiliam Pentecostes post illam immediatè futuram, dispensare, huiusmodique decretum pro benignitate sua confirmare dignetur. Similiterque decreuit præfatam temporis prorogationem à die prima Ianuarij, vsque ad vi-

giliam Pentecostes suffragari etiam regimini Reuerendissimi Patris Vicarij Generalis totius Ordinis, Magistratu vaccante à dictis Kalendis Ianuarij; ita vt à prædicto die, vsque ad vigiliam Pentecostes eiusdem anni minimè iudicetur expletum suum officiũ, etiam si per aliquos dies excedat quadrimestre, ad quod ex decreto Capituli Generalis Toletani à Sede Apostolica confirmato, limitatur. Super quibus omnibus, & eorum singulis hoc sanctum Diffinitorium suppliciter orat Sanctissimum, vt communem Religionis vtilitatem, & commodum suo benigno prosequatur fauore.

Vlterius attendens hoc sanctum Diffinitorium celebrationes Capitulorum Prouincialium Aragoniæ, Valentiæ, ac Berhicæ, eodem ferè tempore concurrere, ita vt absque nimio incommodo, & celeri cursu Magistri Generalis; illis inter esse minimè valeat, alijsque grauissimis causis vtilitati, & conuenientiæ earundem Prouinciarum oportunis, supplicationibusque Prouincialium illarum auditis decreuit committere discretioni Magistri Generalis designare commodius tempus celebrationi Capituli cuiusvis Prouinciæ, ita quod vni, & alteri interesse posit, consulta Sede Apostolica, ab eaque gratia dispensationis obtenta, quatenus ad prædicta opus fuerit.

Denique actum fuit de eo, quòd aliàs in Capitulo Generali Barbastrensi vltimo celebrato, ad instantiam Eminentissimi Domini Cardinalis de Lugo, nostræ Religionis Protectoris per litteras dicto Capitulo missas, in eoque lectas, & auditas fuerat decretum circa recognitionem nostrarum sacrarum Constitutionum, in quibus aliqua obscura notantur, aliaque omissa videntur quæ pro maiori reformatione, & regulari obseruantia à varijs Capitulis Generalibus sunt statuta, & decreta, pro quarum maiori elucidatione decreuit, quod in vnaquaque Prouincia designarentur duo Religiosi doctrina, virtute, & iudicio præditi, qui maturè singula capita nostrarum Constitutionum discurrerent, ac examinarent, eisque omnia, quæ ad maiorem lucem addenda, vel expurganda viderent adaptarent. Visisque, & animaduersis omni-

nibus, notatu dignis, coram vniuerso Diffinitorio propositis examini, vt ea laudaret, approbaret, & confirmaret, quæ laude, approbatione, & confirmatione digna videret iuxta facultatem à nostris sacris Constitutionibus cap. 2. dist. 2. Capitulo Generali concessam, per ea verba: *Diffinitores autem omnes in Generali Capitulo congregati, in omnibus, & singulis, quæ pro toto nostro ordine fuerint ordinanda, constituenda, destituenda, mutanda, addenda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, & confirmanda, ita se habeant quod ea omnia ordinent, constituant, definiant, approbent, & firmiter decernant. Et quidquid per eosdem generaliter fuerit statutum, & ordinatum vniuersaliter in ordine nostro obseruetur.* Longa, seria, & matura deliberatione laudauit, approbauit, & statuit vniuersum sanctum Diffinitorium singulis capitibus nostrarum Constitutionum esse addenda, quæ inferius notantur ordine sequenti.

DISTINCTIO I.

CAPVT I.

De officio Ecclesiæ.

QVotidie celebretur Missa conuentualis in omnibus Conuentibus, in qua assistant omnes legitimo impedimento non impediti, in eaque vltra communia & particularia suffragia dicatur oratio pro Sanctissimo, & fœlici statu Ecclesiæ. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. Ordinis, fol. 215.*

Die Sabbati cuiuscumque hebdomadæ post Primam inuiolabiliter celebretur Missa de Beata Virgine iuxta ritum Romanũ, cui intersint omnes Religiosi, cuiuscũque gradus, aut qualitatis extiterint, Reuerendiss. Magistro Generali non excepto: similiter eodem die post Cõpletorium ad cantandum Antiphonam Salue in Capella maiori Ecclesiæ conueniant. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP.

CAP. III.
De suffragijs mortuorum.

PRo quolibet Religioso professo, cum decesserit è vita in quolibet Conuentu illius Prouinciæ vna Missa conuentualis, cum sua Vigilia, & Responso cantetur, singulique Fratres Sacerdotes vnam Missam priuatã, Clerici septem Psalmos Pœnitentiales, & laici centum Pater noster exsoluere tenentur. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullarium, fol. 215.*

Commendator domus vbi aliquis Religiosus obierit, quam primum poterit certiorem faciat Prouincialem, qui Commendatores illius Prouinciæ de Fratris morte, nomine, & officio monere teneatur, vt pro illo supra posita suffragia fiant; teneanturque Commendatores nomen defuncti Fratris scribere in tabula ad hunc effectũ in Choro, vel Sacristia destinata, quam debeant Prouinciales in suis visitationibus sedulò examinare, & an suffragia pro defunctis sint integrè persoluta. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Pro Magistro Ordinis in tota Religione, & pro Prouincialibus in suis Prouincijs, etiam si ante obitum officia sua expleuerint, in vnoquoque Conuentu, & per singulos Fratres eadem suffragia fiant, quæ pro quolibet defuncto in Conuentu vbi decesserit fiunt, veluti fierent, si dum suis officijs fungebantur è vita decederent. *Ex decreto 3. Matritensi a Paulo V. confirmato.*

In quolibet Conuentu singulis annis, prima die non impedita post festum Apostolorum Petri, & Pauli, celebretur Anniuersarium pro anima Sãctissimi fœlicis recordationis Vrbani VIII. in memoriam specialiũ gratiarũ, quas nostræ Religioni concessit. *Ex decreto Capit. Murciensis de anno 1636 apud lib. maiorem Relig. fol. 275.*

Prima die non impedita post festum reuelationis celebretur per singulos annos Anniuersarium pro anima Serenissimi Regis Iacobi Primi, nostræ Religionis Fundatoris. *Ex decreto huius Capituli.*

Audita morte Sanctissimi Domini nostri Papæ in sin-

singulis Conuentibus nostri Ordinis solemnes exequiæ pro ipso fiant, idemque pro Eminentissimo Cardinale nostræ Religionis Protectore, & pro Rege, & Regina Catholicis, totius Religionis Patronis, & Fundatoribus fiat. *Ex decreto speciali huius Capituli Murciensis.*

Singulis annis infra hebdomadam Commemorationis omnium defunctorum, in toto Ordine fiat Anniuersarium generale pro animabus Fidelium captiuorum, qui in infidelium potestate Catholicam Fidem retinentes mortui sunt. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullarium, fol. 206.*

Qualibet feria secunda (tempore Paschali excepto) post Primam cantetur Missa quotidiana defunctorū, qua finita, fiat processio, vt in Cæremoniali notatur. Quod si dicta feria secunda aliquo festo solemni impedita fuerit, in feriam tertiam, vel quartam transferatur. *Ita decreuit sanctum Diffinitorium in hoc Capitulo Murciensi.*

CAP. V.

De Oratione Mentali.

CVm ex nostris Constitutionibus quotidie bis mentaliter orare teneamur, decreuit sanctum Diffinitorium tempus primæ orationi toto anni tempore dimidiam horam immediatam ante Primam destinare, taliter quod primo mane omnes Fratres in Choro conueniant, vbi genibus flexis inuocato Spiritu Sācto Antiphona Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta. Vers. Emitte spiritum tuum, &c. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix, &c. Saluos fac seruos tuos, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum insere pectoribus nostris amorem tui nomi-

minis,& præsta in nobis Religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias. Defende quæsumus Domine Beata Maria semper Virgine intercedente istam, ab omni aduersitate familiam, & toto corde tibi postratam ab hostium propitiùs tuere clementer insidijs. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Secundo etiam conueniant post Completorium, factoque post dimidiam orationis hòram signo à Prælato, Hebdomadarius incipiat Antiphonam Cōceptio tua, &c. prout in Rituali Ordinis notatur, & iuxta hoc decretum est ordinanda Constitutio, vbi designat tempus orationis immediatè post Nonam, vel Matutinas. *Ex decreto Bilbilitano, Optensi, & Burtinensi.*

Temporibus designatis tenentur omnes Fratres nemine dempto, nec Magistro Generali ad orationem mētalem conuenire, nisi propter graue impedimentum, & rationabilem causam videatur Prælato raro cum aliquo dispensare. *Clem. VIII. in Bullar. fol. 215. & Paul. V. apud Bargas pag. 502. in fine.*

CAP. VI.

De Disciplinis.

PRæter disciplinas in Constitutione assignatas quarta, & sexta feria Quadragesimali, & ferijs sextis per totum Aduentum Religionis vesperè omnes Fratres conueniant in Choro, vel Ecclesia, & ibi communem faciant disciplinam *Clemens VIII. in Bullar. fol. 217. n. 25. & hoc Capit. Murciense extendit ad ferias sextas Aduentus.*

CAP. VII.

De Cibo.

COmmendator nunquam à Refectorio absit, omnesque tam Magistros, quàm Præsentatos adesse compel-

pellat: quòd si Commendator ex consuetudine à Refectorio abesse constet officio, & commenda priuetur. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 503.*

CAP. VIII.

De Ieiunijs.

PRæter ieiunia in nostris Constitutionibus statuta, tenentur ieiunare omnes Fratres in vigilijs festiuitatum Beatæ Mariæ Virginis Dominæ, ac Patronæ nostræ, ac sanctissimi Patriarchæ Petri Nolasco. *Ex decreto huius Capituli.*

CAP. X.

De Vestitu.

COmmendatores prouideant Religiosis omnibus necessaria ad vestitum, ad minus habitum integrum in triennio, & calceamenta toties, quoties opus fuerit. *Paulus V. apud Barg. pag. 500.*

Prælati nequeant sibi aliquid vestimentorum summere, nisi idipsum cæteris Religiosis tribuant, sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ, ac suorum officiorum. *Vrbanus VIII. apud Bullar. fol. 246. col. 4.*

Non possunt Fratres nostri vestimenta profana gestare sub pœna reclusionis duorum mensium pro prima vice, & pro secunda, & tertia sex mensium, quorum duo sint grauioris culpæ, quàm pœnam Prouinciales in suis Prouincijs, & Commendatores in suis Commendis executioni sine remissione mandabunt. *Ex Clemente VIII. apud Bullar. fol. 216. n. 17.*

Illa clausula: *Procuratores, & iter facientes marsupium ferre poterunt*, pertinet ad cap. 20. de Proprietarijs, ibique est collocanda, & in cap. 23. dist. 2. de Fratribus iter agentibus. Et illa alia: *Commendator verò sigillum cũ scuto Ordinis habeat*, cap. 15. dist. 2. est apponẽda. *Ex decreto huius Cap.*

CAP. XIII.

De Infirmis.

SVb pœna priuationis officij præcipitur Commendatoribus, ne quouis titulo, vel prætextu audeant necessaria, tam in victu, quàm in medicamentis infirmis negare. *Ex Paulo V. apud Bargas pag. 500. in fine, & Vrbano VIII. in Bullario, fol. 246. col. 2.*

CAP. XVI.

De leui culpa.

PRo notitia huius capitis, & sequentium, vbi de graui, grauiori, & grauissima culpa agitur notari debet, materiam eiusdem delicti dici puniendam pœnis grauis, vel leuis culpæ, quod debet intelligi, ne videatur in consequentia, vel oppositio Constitutionum, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, quæ in moralibus aggrauant, vel diminuunt culpam. Præterea huic capiti debēt addi pœnæ, quæ per varia capita Constitutionum sunt dispersa, vnicuique propria adaptando, vt faciliùs in promptu habeātur. *Ita fuit decretum in hoc Capit. Murciēsi.*

CAP. XIX.

De grauissima culpa.

HVic capiti debet addi, quòd iam aliàs fuit statutum, nempè obseruari decretum sacræ Congregationis Concilij de Apostatis, & eiectis, à sanctissimo Domino Vrbano VIII. confirmatum, circa expulsionem incorregibilium. *Sic decreuit præsens Capitulum Murciense.*

CAP.

CAP. XX.

De Proprietarijs.

Religiosi nequeant habere redditus annuales,seu census,etiam nomine Conuentus, nisi de licentia Sanctissimi,quod si aliquis habuerit ipsis statim priuetur, & applicentur Conuentibus,seu Monasterijs,quibus ex vi Constitutionis pertinent. *Ex Paulo V. apud Barg. pag.* 500.

Sub pœna priuationis officij præcipitur Prælatis,ne à subditis ex his,quę in communi deposito habent quidquam,vel in minima quantitate neque ad breuissimum tempus summant,aut mutuatū petant *Ex Vrbano VIII. apud Bullar. fol.* 247. *col.* 4. Idem fuit præceptum sub pœna excommunicationis *à Clemente VIII. in Bullar. fol.* 227. *n.* 28.

Huic capitulo addenda est clausula capitis 10. prout ibidem notatur,nempè: *Procuratores poterunt secum habere marsupium, quatenus ad sumptus Conuentus fuerit necessarium.* Ita in hoc Capitulo fuit decretum.

Item vbi in hoc capite dicitur: *Magister Generalis, &c.* debet addi: *Vicarij Generales Indiarum tenentur reddere rationem omnium, quæ in ministerio sui officij receperint.* Ita decreuit præsens Capitulum.

CAP. XXI.

De Apostatis.

Apostatæ statim,atque ad aliquem Conuentum apulerint incarcerentur,vt per dies aliquot flagelis, & in pane,& aqua ieiunijs puniantur; statimque compellantur ad suum Conuentum,vnde exierunt regredi. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol.* 247. *col.* 3.

Quicumque sic fugitiui sine licentia suorum Prælatorum Ordinem aliquem susceperint sint perpetuò irremissibiliter suspensi à talis Ordinis exercitio,& ad alios

ascendendi perpetuò inhabiles, nisi aliter à sancta Sede dispensetur. *Ex eodem Vrbano VIII. vbi supra.*

Vltra pœnas sacrorum Canonum, Religiosus Clericus suscipiens Ordines sinè licentia suorum Prælatorum per triennium damnetur ad triremes; conuersus verò per sexsennium. Superioresque non demandantes executioni hanc pœnam maneant suspensi à diuinis in vtroque foro. *Ex Clemente VIII. apud Bullar. fol. 216. n.* 11.

Nullus Religiosus cuiusvis status, & conditionis extiterit, possit extra Prouinciam ire, nisi cum expressa licentia Reuerendiss. Generalis in scriptis, & quemlibet absque huiusmodi licentia è sua Prouincia decedentem, ex nunc in perpetuum eius antiquitate professionis per duos annos pro singulo mense, quo manserit extra obedientiam priuamus; & si fuerit laicus pro prima fuga quam fecerit extra Prouinciam, vt per triennium absque cucullo, & scapulario incedat, & in coquina deseruiat, & pro secunda vice ad triremes per triennium condemnamus. Et si fuerit Præsentatus, vel Magister, ipso facto eum priuamus gradibus quos habuerit ab Ordine, & ex nunc in perpetuum declaramus, quòd quilibet, qui sic discedat habeatur pro infame, & inhabili ad quodvis officiũ obtinendum iuxta Breue suæ Sanctitatis, & quod non valeat habilitari. *Ex decreto 14. Matritensi à Paulo V. confirmato.*

Qui sic fugitiui in aliqua Prouincia permanserint minimè ad sacros Ordines promoueantur adhuc de licentia Prouincialis illius Prouinciæ, sed est necessaria Prouincialis eius vnde aufugerint, cuius sunt filij, quam non concedet inconsulto Magistro Generali. *Ex Paulo V. apud Barg. pag.* 502.

Religiosus in Ordine nostro professus, qui ad alium Ordinem transierit quomodolibet id fiat; si postea emissa, vel non emissa professione iterum ad nos reddierit totum tempus à priori ingressu in nostram Religionẽ, vsque ad diem redditus ex alia ad quam transierit, *illi* ad obtinendam antiquitatem nullatenus computetur, sed ab eo die incipiat nouissimus esse, ac si tunc primò habitum suscepisset; si quos autem gradus, dignitates, aut

of-

officia in Religione habeat ipso facto vaccent. *Ex Vrbano VIII. apud Bullar. fol. 247. col. 1.*

CAP. XXIII.

De recipiendis ad Ordinem.

SVb pœna suspensionis ab officio per sex menses præcipitur Prælatis, ne aliquem ad habitum Religionis admittant, nisi habeat qualitates, & conditiones à Constitutione requisitas. *Ex Clemente VIII. apud Bullarium, fol. 215. n. 7.*

Nullus Religiosus alienæ professionis cuiuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit possit ad nostram Religionem admitti, super quo taxatur Magistro Generali potestas supplicaturque Sanctissimo Domino nostro quatenus de sua benignitate dignetur professiones eorum, qui sic recipiuntur annullare, & ipso facto eas irritas fore declarare, non obstãtibus priuilegijs à Sede Apostolica olim nostræ Religioni concessis. *Ex decreto Tolet. ab Vrbano VIII. confirmato, in Bullar. fol. 247. col. 1.*

Obseruetur decretum ex Motu proprio Sixti Quinti, quo decreuit, quòd nullus ex sacrilego, aut incestuoso concubitu, vsque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum natus admittatur ad habitum, neque ad professionem in aliqua Religione, quod si secus fiat, professionem decernit esse nullam, eosque facit inhabiles ad profitendum, & ad ascendendum ad quoscumque gradus, aut dignitates; reliquosque illegitimos ex alio thoro natos, spurios, vel naturales, etiam aliâs legitimatos, ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis; & circunstantijs vniuersis fidedignis testimonijs, ita vt eorum receptio videatur pro futura vniuersæ Religioni, commodo, & vtilitati eius, super quo in Generali, vel Prouinciali Capitulo matura deliberatione habita vnanimi cõsensu Diffinitorum, & Prouincialis, vel Generalis ad habitum regularem approbentur. Et nihilominus hi sic re-

op. paralel. 7 mot.

recepti ad gradus, honores, & dignitates sui Ordinis perpetuo sint inhabiles, & incapaces, nisi authoritate Apostolica specialiter dispensetur cum eis. Quod si aliquis istorum aliter quam diximus recipiatur decernit professionem esse nullam, & eos à Religione esse eijciendos, & receptores excommunicantur. Similiterque decernit Iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis non aliter posse habitum Religionis recipere, quam si prius de eorum parentibus, patria deque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur accurata, & fidedigna informatione, qua exploratum sit, & constet eos, non homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, vel grauiora delicta perpetrasse, aut de eis suspectos esse, neque ingenti ære alieno grauatos, aut de reddendis ratiocinijs esse obnoxios de quibus omnibus in Capitulo Monasterij, vbi recipiendi sunt plena fide facta à Prælato, & Vocalibus illius Monasterij admittantur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Declarauit etiam Vicarios Conuentuum non esse Prælatos cum sufficienti authoritate, & potestate ad admittendum, vel tradendum habitum Nouitijs, poterit tamen si sit Præsidens in capite vaccante officio Commendatoris, etiam si sit per suspensionem Commendatoris ab officio. *Ita hoc Capitulum Murciense.*

Vlterius decreuit esse addendum in fine huius capitis, vbi dicitur: *Et tempus probationis assignetur ei à Prælato.* Tempus probationis iuxta decretum Concilij Tridentini ses. 23. & de iure, quod est integer annus, post quem immediatè Nouitius est admittendus, vel repellendus. *Ita hoc Capitulum Murciense.*

CAP. XXVII.

De Confessionibus, & Confessoribus.

PRouinciales, & Visitatores in Conuentuum Visitationibus licentias audiendi confessiones Confessarijs non graduatis in Magisterio, vel Præsentatura suspendant,

dant, donec nouo examine approbentur, & idonei reperiantur. *Ex Vrbano VIII. apud Bullarium, fol. 246. col. 4.*

CAP. XXVIII.

De Redemptione captiuorum.

QVi bona Redemptionis in aliquo defraudasse repertus fuerit, non solum voce actiua, & passiua in perpetuum priuatus existat, sed illum sic delinquentem, nec Prouincialis, nec Generalis Magister ad tales voces restituere, & ab ea poena liberare possit, nisi solum vniuersum Diffinitorium generale vnanime, & conforme, ac nemine discrepante. *Ex Capitulo Vallisoletano apud Barg. pag. 261.*

Bona Redemptionis nequeant à Conuentibus prætio comparari, nisi intra viginti quatuor horarum spatium prætium pro emptione in communi deposito reponatur; quod si contrarium per aliquos Prælatos fiat poenis Constitutionum subiaceant. *Ex decreto Matritensi a Paulo V. confirmato.*

Pœnæ Constitutionum in bona Religionis defraudantes, non tantum sunt excommunicatio, & priuatiõ vocis actiuæ, & passiuæ sed etiam priuatio officiorum in tota Religione, & ita sunt in posterum intelligendæ; & infligendæ. *Ex declaratione huius Capituli Murciensis.*

Pecuniæ quæ venerint ex Indijs ad redimendos captiuos, vna cum reliquis quæ aggregabuntur in Prouincijs Castellæ, & Vandaliæ tantummodo deseruiant, & applicentur Redemptioni captiuorum dictarum Prouinciarum, absque eo, quod Magister Generalis illas extrahere, aut in Redemptionem captiuorum aliarum Prouinciarum vel in alios vsus conuertere, seu aliter applicare valeat, sub pœna priuationis officij. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullar. fol. 200. col. 3.*

CAP.

CAP. XXIX.

De Redemptoribus.

Redemptores non consummant pecunias, quę pro Redemptione alicuius determinatæ personæ per parentes, consanguineos, vel amicos sunt collata, nisi in Redemptione illius pro quo fuerunt largita. *Ex decreto 12. Murciensi de anno 1636.*

Patres Redemptores tanquam Legati à latere possunt captiuos Christianos, à quibuscumque criminibus Apostolicæ Sedi reseruatis absoluere, & illorum vota commutare, ac si persona eiusdem Pontificis præsens adesset. *Ita notatum videtur in margine Constitutionum antiquarum, super scholium huius capitis ex Alexandro. Sed in Bullario neutiquam reperitur tale priuilegium, licet fol. 51. ex priuilegio Ordini Prædicatorum concesso per participationem in aliquibus casibus tali facultate gaudere Seraphini scholium asserat, ideò decreuit hoc Diffinitorium supplicari Sanctissimo, super renouatione, seu concessione de nouo huius facultatis, & gratiæ, & apponi huic Capitulo.*

CAP. XXXI.

De modificatione pœnarum.

Licet in hoc capite detur facultas Magistro Generali dispensandi, & mitigandi in pœnis à Constitutionibus taxatis, monetur tamen, ne liberè, & cum facilitate dispenset, nisi transacta iam maiori parte pœnitentiæ, præuisisque in pœnitentibus manifestis, & euidentibus signis doloris, & correctionis. *Paul. V. apud Bargas, pag. 502.*

DI-

DISTINCTIO II.

CAPVT I.

De possessionibus habendis, & de domibus acceptandis de nouo.

EX hoc capite decreuit esse tollendum ab illa particula: *In virtute obedientiæ*, vsque *ad mutatum est*, inclusiuè. Sicque debet istud caput ordinari, & continuari: *Præsenti Constitutione statuimus, & ordinamus in virtute obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis, absolutionis ab officio, & priuationis Commendæ, &c.* vsque ad finem. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. II.

De Capitulo Generali.

CApitulum Generale intermedium non debet celebrari, nam Sixtus V. semel super eius celebratione dispensauit. *Est Bulla specialis in Bullar. fol.* 193. & Paulus Quintus decreuit, quòd Capitulum Generale intermedium de cætero minimè celebretur, sicut consueuit celebrari, daturque Magistro Generali facultas per se ipsum agendi, quidquid in prædicto Capitulo fieri consueuit: *Adest Bulla Pauli V. in Bullario, fol.* 223. Et Capitulũ Generale Toletanum præcipit obseruari, speciali decreto ab Vrbano VIII. confirmato, *in Bullar. fol.* 248. *col.* 2.

Quouis modo vaccante officio Magistri Generalis, succedit Prior Barchinonensis in officio Vicarij Generalis, siue sit confirmatus, siue non, & eo per solos quatuor menses fungatur, quibus finitis Capitulum Generale celebretur, quocumque anni tempore accidat. *Ex decreto Capituli Toletani ab Vrbano VIII. confirmato.*

Tempus quatuor mensium gubernij Prioris Barchinonensis est computandum à die adeptæ possessionis officij Vicarij Generalis, dummodò hoc fiat immediatè post habitam notitiam vacationis Magistratus Generalis. *Ex decreto Capituli Burtinens. à S. C. R. confirmato sub die 3. Octobris 1653. & Breui speciali Sanctiss. Innocentij X. sub die 12. Maij 1654.*

Quadrimestre vaccantis, & officij Vicarij Generalis minimè tenetur expectari casu, quo Magistratus ante absolutionem Capituli suæ electionis vacauerit. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 503.*

Si quando officium Generalatus vaccauerit, & fuerit notificata vaccatio Conuentui Barchinonensi, non sit Prior electus, tenentur Patres Conuentuales intra spacium viginti quatuor horarum Priorem de more iuxta Constitutiones eligere. *Ex Vrbano VIII. vbi supra.* Quod si secus fecerint in gubernio Religionis, & officio Vicarij Generalis succedat Prouincialis illius Prouinciæ, vbi erit celebrandum Capitulum Generale immediatè futurum. *Ex decreto huius Capit. Murciensis.*

Officium Prioratus Barchinonensis non vaccat durante spacio quatuor mensium officij Vicarij Generalis, etiam si aliàs triennium expleatur. *Ex Vrbano VIII. apud Bullar. fol. 248. col. 3.*

Si Prior Barchinonensis tempore, quo Magistratus vaccauerit fuerit legitimè impeditus gubernationi Religionis, in eius locum succedat Prouincialis, & eius defectu Vicarius Prouincialis, in quo erit celebrandum Capitulum immediatè futurum, cum omnimoda, & plenaria potestate Vicarij Generalis, prout in nostris Constitutionibus sancitur. *Ex decreto Capituli Bilbilitani, Optensi, & Barbastrensi.*

Debet seruari alternatiua in officio Magistri Generalis; taliter, quod vna vice sit ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, ac Italiæ, altera ex Corona Castellæ, inclusis Prouincijs Vandaliæ, & Indiarum. *Ex decreto Clement. VIII. apud Bullar. fol. 199. col. 3.* Si tamen Magister electus obierit ante absolutionem Capituli suæ electionis, non iudicatur eius alternatiua expleta, sed ex eadem debet de

no-

nouo fieri electio Magistri Generalis. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Talis alternatiua debet intelligi ex filijs cuiuslibet Prouinciæ, qui in ea professionem emisserunt, nec sufficit quod in aliqua fuerint adoptati, vt eiusdem alternatiua gaudere possint. *Ex decreto Capituli Matritens. de anno 1606 in lib. mat. fol. 67.*

Eo modo quo seruatur alternatiua erga personam eligendam, debet seruari in loco electioni determinato, taliter, quòd quando persona erit eligenda ex Corona Aragoniæ, domus Capitularis assignetur in Corona Castellæ, & econtra. *Ex Clemente VIII. apud Bull. fol. 199. col. 3.*

Magistratus Generalis non intelligitur vacare, etiam si Magister Generalis ad regimen alicuius Ecclesiæ promoueatur, vel præsentetur: neque successor in officio Vicarij Generalis se ingerere potest, vsque dum Magister ad Episcopatum in Romano Consistorio præconicetur. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bullarium, fol. 299. col. 3.*

In hoc capite vbi agitur de vacatione Magistratus Generalis per discessum, debet addi: *Renuntiationem*, vel alio modo, &c. Et paulò post, vbi dicit: Si autem successerit mors, addatur *Renuntiatio*, vel alia, &c. Potest enim Magister Generalis liberè renuntiare Magistratum, nulla alia causa adhibita, nec desiderata, præter humilitatem, & hæc renuntiatio fieri per se, vel per Procuratorem suum legitimum, non solùm in manibus Summi Pontificis, sed etiam in manibus Nuntij suæ Sanctitatis, in illis partibus, & Regnis vbi Magister extiterit, etiam si non sit Legatus à latere. Imò talis renuntiatio erit sufficiens, si coram Prouinciali Diffinitoribus, & Electoribus Generalibus illius Prouinciæ in qua Generalis extiterit fiat, dummodo Secretarius Religionis testimonio fidem faciente eam testificetur, quod testimonium Commendator domus, vel Secretarius, iuxta ea quæ cap. 4. sequenti dicuntur, per nuntium specialem ad Priorem Barchinonensem mittat. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Huic capiti addi debet decretum capitis quarti subsequentis, vbi hæc habet. Et licet Vicarius Generalis in officio Generalis succedat: illi tamen nullatenus liceat

Electores mutare, vel priuare, aut nouos eligere ad Capitulum Generale proximum; sed quantum ad hoc ijdem Electores, quos Magister Generalis per mortem, vel decessum (adde renuntiationem) vel priuationem reliquit permaneant. Ita vt Religio in eodem prorsus statu perseueret, sicut fuerat ante vacationem Magistratus. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Hoc decretum, ita rigorosè est obseruandum, vt nullatenus Vocales Capituli Generalis tempore vacationis Magistratus expirent, etiam si compleatur triennium; sed debet transferri Capitulum Prouinciale, vsque ad electionem noui Magistri Generalis; sicque est exponēda, & limitanda Constitutio infra capite sexto, vbi dicit: *Capitulum Prouinciale tertio quoque anno fiat in qualibet Prouincia*; quæ est clausula generalis habens hanc limitationem. *Ex decreto Guadalfaxaræ de anno 1618. à Gregorio XV. confirmato, apud Bullarium fol. 229.*

Ex hoc capite delendum videtur id quod de Capitulo Generali Cæsaraugustano narratur, ab illis inquam verbis. *Quare in Capitulo Generali, &c.* vsque ad illa: *In Prouincia Castellæ, & Portugalliæ*, inclusiuè. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. III.

De Electoribus Magistri Generalis.

PRæter Electores Magistri Generalis, à Constitutione in hoc capite determinatos, duo alij in qualibet Prouincia designentur, eadem forma qua duo socij Prouincialis ad Capitulum Generale eliguntur: ita vt in qualibet Prouincia quinque sint Electores suffragium habentes in Capitulo Generali; Prouincialis nempè, & quatuor socij, quorum duo titulo Diffinitorum, alij vero Electorum Generalium gaudebunt. *Ex decreto Capituli Matritensis apud librum maiorem Religionis, fol. 65. consuetudine firmato.*

Qui titulo Electorum designantur, tantum habebunt suf-

suffragium in qualificatione Vocalium ante electionē, & in electione Magistri, ac domus capitularis: secus tamen in alijs Diffinitorijs. *Ex consuetudine in hoc Capitulo confirmata.*

Diffinitores, & Electores Capituli Generalis tenentur esse gradu Magisterij, vel Præsentaturæ insigniti, vel saltem per viginti annos à professione antiqui, vt in electione Magistri possint habere suffragium. *Capitulū Barchinonense de anno 1632 decreto septimo.*

Quicumquè ad Romanam Curiam in officio Procuratoris Generalis strenuè, & cum approbatione communi, per quinquennium se gesserit, si fuerit Magister vocem habeat in Capitulo Generali proximè immediatè futuro. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bull. fol. 249. col. 1.*

Talis Procurator Generalis non tantùm habet vocem in electionibus Capituli Generalis, verum etiam in Diffinitorijs illas subsequentibus, cum præcedentia loci ad omnes Diffinitores Generales, vsque ad absolutionem Capituli. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prior Barchinonensis, etiam si non præsit Capitulo, habet vocem, non tantùm in electionibus, verum etiam in Diffinitorijs subsequentibus, dum ea, quæ pro reformatione, & bono regimine Ordinis decernuntur; & locum immediatum Prouincialibus, & Vicarijs Prouincialibus; vocem tamen primam in omnibus, & ante omnes habebit. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 205. col. 2.*

In electione Diffinitoris, vel Electoris Generalis loco illius, qui morte, vel impedimento legitimo Capitulo Generali assistere nequit, quæ à Diffinitoribus Prouinciæ, simul cum Prouinciali fieri debet; vocem habebit Magister si præsens fuerit, minimè tamen Vicarius Generalis. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prouinciales nequeunt nomine Vicarios, qui loco eorum in Generali Capitulo assistant, & suffragentur, ipsis gubernantibus suas Prouincias; sed dumtaxat, cum ita sunt impediti, vt neque suarum Prouinciarum gubernio sint expediti; quare non admittatur, qui non sit Vicarius

Pro-

 Prouincialis in capite. Sic exposuit hoc Diffinitorium clausulam huius capitis. *Vel fuerit omnino impeditus. Sicque fuit decisum in Capitulo Guadalfaxaræ de anno 1609. apud librum maiorem fol. 80.*

Non licet Vicario Generali, neque Prouinciali, à die vacationis Magistratus, vsque ad nouam Magistri Generalis electionem aliquem Electorem voce actiua priuare; quod si ratione alicuius delicti, vel ob alias causas sit inhabilis, & suffragandi actione ex iure communi, vel nostrarum Constitutionum careat, à Capitulo Generali ante electionem decernatur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Curent diligenter Prouinciales, dum ad Capitulum Generale conueniunt authentica, & fidedigna testimonia de omnibus notatu dignis, quæ in sua Prouincia acciderint secum afferre, de Conuentuum fundationibus; præsertim de vita, & morte eorum, qui cum speciali sanctimonia, & virtutum fama decesserint. *Ex decreto Tolet. ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 248. col. 2.*

CAP. IV.

De electione Magistri Generalis.

ETsi iure nostrarum Constitutionum, omnes Vocales Capituli Generalis conuocati indicentur ad vigiliã Pentecostes, in qua expletur sexsennium, Magister tamẽ Generalis tenetur opportuno tempore, illos ad celebrationem dicti Capituli, in vigilia Pentecostes specialiter conuocare. *Ex decreto huius Capituli.*

Omnes Vocales in vigilia vigiliæ Pentecostes, vel die immediatè præcedenti ad electionem, in Conuentu designato conueniant, ibique à Præsidente Ordinis, & Capituli benignè suscipiantur; & Vicarius Capituli nominetur, qui iurisdictionem ordinariam super omnes Capitulares, & alios Fratres ad Capitulum concurrentes exercebit. *Ex consuetudine, in hoc Capitulo confirmata.*

Talis Vicarius est eligendus, ex Capitularibus illius Pro-

Prouinciæ, in qua celebratur Capitulum, vir inquam prouidus, religiosus, pacificus, & virtute præditus. *Ex decreto huius Capituli.*

Eodem die vespertina sessione congregata, & facta commemoratione pro Domino Papa, & fœlici statu Ecclesiæ, pro Rege, pro benefactoribus Ordinis, & captiuis viuis, atque defunctis; prout infra capite decimo septimo de Capitulo quotidiano statuitur; Præsidens electionis breuem, & piam orationem habeat, qua Patres Electores de fine conuentionis moneat: simulque ad electionem noui Magistri Generalis rectè, legitimè, & canonicè peragendā hortetur, virtutesque, prudentiam, & doctrinam viro eligendo necessarias exponat; qua peracta ad examen Vocalium procedat: & primo præcipiat, idque secundo, & tertio moneat, vt si quis aliquē Vocalium in Diffinitorio, aliquo impedimento legitimo, vel censura Ecclesiastica innodatum (ratione cuius in electione nō habeat suffragium) assistere sciuerit continuò manifestet. Quod si aliquis reperiatur, & sufficienter probetur talem pati impedimentum, à Diffinitorio declaretur, & de Capitulo eijciatur: ita, vt in hac sessione omnes Vocales examinentur, & ad futuram die sequenti, electionem certo numero statuantur.

Die sequenti primo manè ad Auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem pridie designati, in loco capitulari conueniant: ibique celebretur Missa Spiritus Sancti, & concio litteralis Latino idiomatè ad Electores habeatur, exhortans eos ad rectam, & bono communi vtilem electionem; qua finita omnes flexis genibus Hymnum Veni Creator Spiritus cantent, & Præsidens surgens dicat. Emitte spiritum tuum, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Tam in hac electione, quàm in electione Prouincialis (vt vota libera sint) non tenentur Electores petere schedulas (ad effectum votum dandi) à Secretario Capituli, sed possint ipsi facere schedulas arbitrio suo, postquam congregati fuerint in Capitulo ad eligendum, aut illas ex suis cubiculis factas afferre, vel vt ipsi voluerint,

af-

afferendo tantummodo schedulam eius personæ, in cuius fauorem votum dederint, & vbi hoc pacto vota præstita fuerint electus debeat habere supra medietatem votorum alia duo vota, si electus est Capitularis. *Ex decreto Bilbilitano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium fol. 201. col. 1.*

In iuramento à Generali electo post electionem, iuxta nostras Constitutiones præstando debet addi: & iurare tenetur se obseruaturum capita concordiæ innitæ cum Familia Discalceata, circa ministerium Redemptionis, prout in ea continentur. *Ex decreto Capituli Burtinensis in hoc Capitulo confirmato.*

Magister Generalis, post eius electionem, vsque dum à Sede Apostolica confirmationem sui officij obtineat, eo fungatur, non tantum sub titulo Vicarij Generalis, vt in Constitutionibus sancitur, sed etiam Generalis electi. *Ex consuetudine in hoc Capitulo firmata.*

Ex hoc capite debet poni illa clausula: *Et licet Vicarius Generalis, &c.* in capite 2. huius distinctionis, vt ibidem notauimus. Et etiam est delenda clausula immediata, quæ incipit *Quod si Electorum, &c.* vsque *ad eligendi Magistrum,* inclusiuè: nam ibidem est posita. *Ex decreto huius Capituli.*

Quæ sequuntur specialiter notata, sicut & alia, quæ in varijs capitulis Constitutionum de Procuratore Generali Curiæ Romanæ statuuntur, speciale caput, sub titulo *de officio Procuratoris Generalis* postulant. Ita decretum fuit in hoc Capitulo Murciensi.

Facta electione Magistri de consensu, & iudicio totius Diffinitorij Generalis, fiat electio Procuratoris Generalis Ordinis in Curia Romana. Eligaturque vir Religiosus litteris, & prudentia instructus, & Religionis zelo præditus; cui Diffinitorium, nomine totius Religionis, potestatem & mandatum agendi causas, & negotia Ordinis, quæ se se Romæ obtulerint iuridicè præbeat. In eis tamen ad vniuersale regimen Ordinis spectantibus, & ad Religionem in communi concernentibus, absque cōsensu Capituli Generalis, vel Magistri, nihil à Sede Apostolica impetrabit. Quod si aliter, absque speciali manda-

da-

dato in scriptis fecerit, pœnæ priuationis officij subiacebit. Si verò post factam nominationem à Capitulo, tale officium Procuratoris Generalis per mortem, renuntiationem, priuationem, vel alia legitima causa vacauerit, ius nominandi de nouo penes Magistrum Ordinis maneat. Et quamuis Procurator Generalis facultatem habeat substituendi suum mandatum, vel procurationem, id tamen absque consilio, & consensu Magistri Generalis minimè faciat. Postquam verò per quinquennium strenuè, & cum approbatione communi, in officio Procuratoris se gesserit, si anteà Præsentatus erat, sit Magister iuxta decretum Toletanum ab Vrbano VIII. confirmatum, & optionem habeat loci inter Magistros suæ Prouinciæ, cum præcedentia ad omnes, qui in ea ad talem gradum fuerint promoti post ipsum, si aliàs habeat conditiones, & requisita iuxta Constitutiones, & decreta Apostolica ad Magisterium de iustitia obtinendum; quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus locum habeat immediatum omnibus Magistris de numero: quod si fuerit Magister, & iuxta superius dicta suffragatus fuerit in Capitulo Generali, gratijs, & exemptionibus eorum, qui fuerunt Prouinciales gaudebit, absque optione tamen præcedentiæ ad eos, qui posteà fuerint Prouinciales. *Ita decretum in hoc Diffinitorio Murciensi.*

Quando Magister Generalis fuerit ex Corona Castellæ, & habuerit Romæ Procuratorem, & Vicarium Generalem ex eadem Corona, poterit Prouincia Aragoniæ (si voluerit) curam suorum negotiorum dare alteri Procuratori suis expensis, Religioso suæ Prouinciæ, nominato per suum Capitulum Prouinciale, aut cum mandato Procurationis Prouincialis; & Diffinitorum ipsius, & idipsum facere poterit Prouincia Castellæ, quãdo Magister Generalis fuerit ex Corona Aragoniæ, & nominauerit Romæ Procuratorem Generalem suæ Coronæ: cum hoc, quod Procurator particularis Prouinciæ in robur Religionis, & obedientiæ sit subditus Commendatori Monasterij Romæ, ipsius Ordinis, vti Prælato ordinario, & Procuratori, ac Vicario Generali, vti talibus, obseruatis in omnibus Ordinis Constitutionibus.

Ex decreto Calataiubij à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 199. col. 4.

Præter Procuratorem Generalem Curiæ Romanæ, eadem forma nominetur Procurator Generalis Matritensis, ad negotia, quæ in Regia Curia se se obtulerint peragenda. *Ex consuetudine in hoc Capitulo Murciensi firmata.*

CAP. V.

De officio Magistri Generalis.

MAgister Generalis in toto Ordine generalem habeat potestatem: illam (inquam) quæ iure Canonico, vel ciuili superioribus cuiuslibet Religionis est concessa, & in posterum concedenda ad omnia, ad quæ ex nostris Constitutionibus non limitatur, curamque præcipuam totius Ordinis, & administrationem gerat. Vnde per se solum eam potestatem in toto Ordine habeat, quam Prouincialis in sua Prouincia, & Commendator in suo Conuentu: & insuper eam, quæ ad rationem sui officij ex iure communi, ex priuilegio, vel ex nostris Constitutionibus, ad eum spectat. Sed in inferiorum Prelatorum ministerio, non se immisceat; nisi, vel ob eorundem defectum, vel cum prudentia, & quando ratio id postulauerit; semper tamen inferiores illi parere teneantur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Poterit Magister præsidere in Capitulis Prouincialibus per se ipsum, vel per Vicarium suum idoneum, & prudentem ad hoc specialiter deputatum, iuxta id, quod infra capite quartodecimo statuitur, & primam vocem habebit, tam ipse, quàm eius Vicarius in omnibus electionibus, & Diffinitorijs vsque ad absolutionem Capituli. *Sic declarauit hoc Capitulum Murciense, ex iure nostrarum Constitutionum.*

Tempore electionis, poterit Magister Generalis conuocare ad celebrationem Capituli Prouincialis omnes Vocales illius Prouinciæ litteris conuocatorijs, eas mittendo immediatè Prouinciali, vel Vicario Prouinciali il-

illius Prouinciæ, vt eas continuò manifestet, & notas faciat in Capitulo pleno Conuentus vbi præsens extiterit, deinde eas ad omnes alios suis consuetis itinerarijs mittat. Quod si Magister Generalis huiusmodi litteras conuocatorias opportuno tempore (duobus inquam mensibus immediatis ante complementum triennij) non miserit, Prouincialis, & eius defectu Vicarius Prouincialis, suis litteris ad celebrationem dicti Capituli conuocare poterit, eadem facultas Vicario Magistri in Præsidem Capituli nominato conceditur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Magister Generalis in concurrentia Capitulorum Prouincialium potest quodlibet eorum per quadraginta dies à complemento triennij, quocumque anni tempore anteponere, vel postponere, vt vni, & alteri interesse posſit. *Ex decreto Clement. VIII. apud Bullar. fol. 201. col. 1. & noua declaratione S. C. R. sub die 12. Decembris de anno* 1635. Quæ facultas etiam conceditur Magistro, quamuis non sit concurrentia Capitulorum, sed vnicum tantum celebrandum, si alias expedire visum fuerit. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Ad Magistrum pertinebit in electionibus, si præsens fuerit Electores dirigere modestè, charitatiuè, & religiosè eos monendo, hortando, & instruendo, imò etiam suauiter suadendo ad eligendam personam digniorem, & magis idoneam Capituli ipsius virtutes veras, & regimini necessarias ostendendo, & quando absuerit per litteras ad Capitulum, & Electores missas dirigendo. *Ex instructione officiorum à nostris Constitutionibus ordinato, de officio Magistri circa Prouincias, & declaratione huius Capituli Murciensis.*

Licet ex decreto Pauli V *apud Bargas, pag.* 502. posſit Magister Generalis aliquas gratias, & exemptiones (absque tamen aliorum præiudicio) Religiosis, qui ad minus per triginta annos Religioni honestè, & religiosè, semper intra obedientiæ claustra degentes inseruierunt, Generalis electus huic iuri, & facultati pro se, & successoribus suis cesſit, & reuocauit omnes exemptiones, immunitates, & dispensationes à prædecessoribus

 con-

concessas (dummodo à Sede Apostolica non sint confirmatæ) & obseruari præcepit (de consensu, & iudicio totius Diffinitorij) decretum Capituli Calataiubij, in quo statuitur, quòd nullus Religiosus posit vti exemptionibus personalibus illi concessis, tam in sedendo, quàm in non assistendo Choro, nec officijs Conuentualibus; neque Prælati vlterius illis assentiri posint, sub pœna priuationis officij ad annum; quoad subditos verò, sub pœna carceris, in quo detineri debeant per sex menses: poterit tamen Magister declarare aliquos frui exemptionibus (quas reales appellat sanctum Diffinitorium) illis inquam, quibus ratione officij, gradus, antiquitatis in Religione, vel quouis alio titulo, iure nostrarum Constitutionum gaudere possunt. *Extat decretum ex Clemente VIII. apud Bullarium, fol.* 200.

Bullam concordiæ initæ inter Magistrum Generalem, & Prouinciam Castellæ irritam esse, & nullius valoris, & anullatam à Commissarijs Apostolicis Præsidentibus in Generali Capitulo de Guadalaxara de anno 1574. de consensu totius Capituli Generalis, & Diffinitorij, facta renuntiatione prædicti iuris, ratione scripturæ, & Bullæ, eo meliori modo, via, & forma, quo potuit, atque esse extinctam, & de medio sublatam, declarauit hoc sanctum Diffinitorium. *Ex Coronicis Religionis Fr. Bernardi de Bargas tom.2. cap.3. §.2.*

Deuoluitur in Magistrum Generalem ius eligendi Prouincialem, casu quo Electores in Capitulo congregati infra tres dies (à primo electionis inclusiuè) de persona eligenda non conuenerint: vel electio non fuerit facta iuxta sacros Canones, Constitutiones, & decreta Ordinis, iureque cassanda venerit, tunc namque Magister eliget Prouincialem, & Diffinitores Prouinciæ; qui omnes simul cum Magistro Generali in Diffinitorio, eligent Diffinitores, & Electores Generales, & Commendatores, ac reliqua in Diffinitorio Prouinciali fieri solita agent, & decernent. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Qui fuerunt Magistri Generales, habeant in mediationem Magistro successori, & locum immediatum Prælatis; & in omnibus Congregationibus, tam Generalibus, quàm

quam Prouincialibus cuiuscumque Prouinciæ, in qua tempore conuocationis ressederint vocem, & votum electiuum, & decisiuum habeant, sicut quilibet ex Diffinitoribus, & Electoribus dictæ Congregationis; & locum immediatum Præsidi. *Ex decreto Capituli Matritens. apud librum maiorem, fol. 66. specialiter in hoc Capit. Murciensi confirmato.*

Magister Generalis tenetur confirmare electionem Vicarij Generalis recolectionis (si fuerit canonica) intra quindecim dies à die præsentationis illius, Patresque Recolecti infra tres menses à die electionis, tenentur illam præsentare Magistro Generali Ordinis, pro eius confirmatione obtinenda. *Ex concordia inter vtramque Familiam à Gregorio XV. confirmata, sub die 26. Nouembris de anno* 1621.

Magister Generalis, habet generalem administrationem, in bonis ad captiuorum Redemptionem pertinentibus: in eaque eius derectioni, & iurisdictioni Familia Discalceata subijcitur, modificatur tamen hæc potestas, & iurisdictio, certis quibusdam capitulis concordiæ inter vtramque Familiam, pro suauiori moderamine initæ. *Ex Vrbano VIII. apud Bullarium, fol. 257. & Bulla speciali Innocentij X.*

Quæ sequuntur postulant speciale capitulum, sub titulo: *De officio Vicarij Generalis, & de eius potestate.*

Vicarij Generales Indiarum (forma à nostris Constitutionibus statuta) designati, qui suum officium, per aliquod tempus in illis Prouincijs exercuerint, ab illis recedere minimè audeant, absque speciali licentia Magistri Generalis, quam ipse non concedat donec illi successoribus rationem exactam officiorum, & gestorum reddiderint; teneanturque subditi illis parere, & obedire, vsque dum alij in officio successerint. Si qui autem, nec præcedente dicta offici) ratione recessisse reperti fuerint, non possint ad aliquod Religionis officium, vel munus assummi, donec reddita ratione villicationis, à Magistro Generali absoluantur. *Ex decreto Capituli Toletani ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 248. col. 2.*

Vi-

Vicarij Generales Indiarum, iustis de causis, possunt à Magistro Ordinis ab officio amoueri; & eorum regimen debet esse iuxta nostrarum sacrarum Constitutionum tenorem, qui nequeunt nominare Commissarios Generales in eorum absentia, præcipuè in illis Prouincijs, in quibus saltem ad vnum Conuentum peruenerint, sed liberum relinquant regimen Patribus Prouincialibus; nisi ob casum, & grauem causam ad visitationem mouētem, quam per propriam personam facere nequeant. Quod si secus fiant prædictæ nominationes nullius valoris, aut roboris esse declaramus. *Ex Capit. Tolet. decreto 3. & 13. ab hoc Cap. laudato.*

Et si tales Vicarij Generales possint confirmare Capitula Prouincialia, & Prouincialium electiones, minimè tamē poterūt eas anullare, similiterque, nec suspendere, vel priuare Prouinciales valebūt, nisi prius legitima causa acta, & conclussa: quæ omnia fieri debent iuridicè. Et in casu quo pœna suspensionis debeat imponi, prius duos Prælatos, seu Diffinitores consulere tenētur: ad priuationem verò quatuor. Hac forma sententia producta à Vicario Generali, & quatuor Diffinitoribus, habeat effectum executiuum, qualibet appellatione interposita, & cum eisdem Diffinitoribus, quorum consensu Prouincialem priuauerit, vel suspenderit, Vicarium eligat Prouincialem: ne Prouincia, huius capitis gubernio maneat orbata. *Ex decreto Capituli Toletani num. 8. & 9.*

Deficiente Prouinciali absque nominatione Vicarij Prouincialis, non poterit Vicarius Generalis nominare Vicarium Prouincialem; sed succedere debet in officio Vicarij Prouincialis, Commendator domus, vbi celebrandum est Prouinciale Capitulum immediatè futurum, & suo ordine Diffinitores, iuxta ea, quæ cap. 7. infra statuentur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Vicarij Generales ratione sui officij, habent ius conuocandi ad celebrationem Capituli Prouincialis, in eoque præsidendi. Habent similiter suffragium in omnibus electionibus, & votum decisiuum in Diffinitorio. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Vicarij Generales non possunt vocare Religiosos doctri-

ctrinarios ad visitationem extra suam doctrinam; nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem doctrinis debent Vicarij Generales, vel eorum Visitatores ab ipsis rationem petere. Neque extra prædictam visitationẽ possunt doctrinarios priuare, sed hoc fiat præcedente causa legitima, qua priuantur Commendatotes suis Commẽdis. Et nunquam doctrinarij à sua doctrina decedant, vsque dum successor aduenerit. *Ex decreto Capituli Toletani num. 17. & 18.*

CAP. VI.

De Capitulo Prouinciali.

Licet Capitulum Prouinciale tertio quoque anno fieri debeat in qualibet Prouincia, si tempore, quo Magistratus Ordinis vacauerit expleatur triennium, protrahi debet celebratio Capituli Prouincialis, vsque ad electionem noui Magistri, & Religio in eodem statu perseuerare, sicut fuerat ante vacationem Magistratus. *Ex decreto Capituli Guadalfaxarensis de anno 1618. à Gregorio XV. confirmato, apud Bullarium Ord. fol. 229.*

Triennium officij Prouincialis computari debet secundùm annos Ecclesiasticos, non iuxta Solares; ita, vt regulariter celebretur Capitulum, & electio noui Prouincialis Sabbato ante Dominicam, in qua per triennium antè fuerat celebratum Capitulum. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si per duos menses ante complementum triennij non fuerint litteræ conuocatoriæ Magistri Generalis notificatæ Prouinciali Prouinciæ, in qua celebrandum est Capitulum, poterit Prouincialis litteras suas conuocatorias expedire, secus tamen si à Magistro fuerint expeditæ: quod si nullæ fuerint notoriè factæ Vocalibus, sciant se esse conuocatos ad celebrationem Capituli, die quo iuxta dicta supra expletur triennium. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

In Capitulo Prouinciali, primam vocem habeat Magi-

gi-

gister Generalis, vel ille, qui eius loco præsidet. Præter assignatos à Constitutione, etiam habent vocem in Capitulo Diffinitores Prouinciæ, dummodo sint per triginta annos à professione antiqui, & Procuratores Generales cuiuslibet Prouinciæ. *Ex decretis diuersorum Capitulorum Generalium, in hoc Murciensi laudatis, & approbatis.*

Vbi in hoc capite dicitur, quòd Præsentati debent esse de licentia Ordinis Bachallaurij in aliqua Vniuersitate approbata, vt possint habere vocem in Capitulo; sufficiet si talem gradū Bachallaureatus suscipiant à Magistro Ordinis, obtenta à Sanctissimo facultatem impertiendi talem gradum, iuxta ea, quę infra capite vigesimo quinto notantur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

In fine, vbi Constitutio asserit: *Prouincialis nominet, &c.* dici debet: Præses Capituli nominet, &c. idemque seruandum est in subsequentibus capitulis, vbi agitur de Prouinciali tanquam Præsidenti; cum possit esse Magister, vel eius Vicarius, vt supra notauimus, & infra capite 14 sic tollitur æquiuocatio. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. VII.

De electione Prouincialis.

OMnes Vocales conueniant in domo assignata celebrationi Capituli, in vigilia vigiliæ Dominicæ *Cantate*, vel alterius Dominicæ à conuocatore Capituli designatæ (semper enim electiones in Sabbato fieri debent, vt capite antecedenti notauimus) nullusque domum capitularem ingrediatur, vsque dum ad sonitum cymbali omnes vocentur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Eodem die, vespertina sessione omnes congregentur, & à Præside Capituli aliqua breui, & eleganti oratione finis ad quem conuenerint proponatur, simulque eos ad electionem noui Prouincialis exhortetur. Deinde referat omnes Fratres per triennium defunctos in illa Prouin-

uincia: & statim surgat, & dicatur *De profundis. &c.* vt habetur in Constitutionibus. Deinde ad qualificationem, seu examen eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent procedatur; fiatque legitima, & canonica regulatio omnium iuxta formam Constitutionum. Et die sequenti ad Auroram, omnes Vocales simul ingrediantur Capitulum, & seruetur forma electionis prout in Constitutionibus. *Ex consuetudine laudata, & approbata in hoc Capitulo Murciensi.*

Vocales non tenentur petere schedulas à Secretario; & si electus fuerit de corpore Capituli, vltra medietatem suffragiorum debet habere alia duo vota, vt supra de electione Magistri ex Clemente VIII. notauimus. Si autem numerus suffragiorum sit impar, electio erit valida, & canonica, si electus vltra medietatem habeat suffragium, & dimidium. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Electores Capituli Prouincialis intra triduum tenentur conuenire in persona eligenda, & legitimè, ac canonicè eligere Prouincialem; aliàs deuoluitur ius ad Magistrum Generalem, tam quo ad electionem Prouincialis, quàm Diffinitorum Prouinciæ, cum quibus deinde constituet Diffinitorium ad reliqua peragenda, quæ fieri sunt solita in Capitulo Prouinciali. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si persona electa ad Prouincialatum, fuerit absens à Prouincia, poterit Magister Generalis de consilio Diffinitorum nominare Vicarium Prouincialem ad regimen Prouinciæ, cum omnimoda facultate, à nostris Constitutionibus Vicarijs Prouincialibus concessa, quem Prouincialis electus reuocare non poterit, nec de nouo alterum nominare, vsque dum suam Prouinciam ingrediatur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Post electionem Prouincialis, & iuramentum ab ipso præstitum, omnes è Capitulo processionaliter egrediantur, & in Ecclesiam procedant cantando Hymnum *Te Deum, &c.* vbi postratus Prouincialis electus accipiat benedictionem à Præside, iuxta formam superius cap 4. de Generali electo statutam. *Ex consuet. & decreto huius Cap. Murciensis.*

Magister Generalis tenetur confirmare electionem Prouincialis canonicè, & iuxta formam nostrarum Constitutionum factam; quòd si renuerit illam confirmare, causas, & deffectus canonicos erga electionem, vel personam electam, manifestare debet. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prouincia Galliæ, & Italiæ, infra tempus quatuor mẽsium, tenentur præsentare coram Mágistro Generali electionem sui Prouincialis; quod si infra dictum tempus eam non præsentauerint, electio sit irrita, & nulla. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Nullus Prouincialis sub præcepto formali obedientiæ, & pœnis ad arbitrium Magistri Generalis (quamuis sit Magister) possit subscribi Magister Prouincialis, nec vti hoc titulo in subscriptionibus litterarũ, & alijs prouisionibus, & patentibus; sed solùm hoc possit facere Magister Generalis. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 204.*

Mortuo Prouinciali alicuius Prouinciæ, licet dictus Prouincialis substituerit alium Vicarium Prouincialem, poterit Magister Generalis nominare pro illa Prouincia alium Vicarium Generalem, qui in ea exerceat iurisdictionem, quam exerceret ipse Magister Generalis, si in ea existeret. *Ex decreto Calataiubij à Clemente VIII. confirmato, apud Bull. fol. 201.*

Prouincialis, per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Prouincialis, non potest priuare Commendatores à sua Commenda, licet possit eos ab offitio suspendere, vsque ad celebrationem Capituli, in quo votum, & suffragium habebunt. *Ex decreto Capituli Matritensis intermedij, ab hoc Capitulo Murciensi laudato, & approbato.*

Et si Prouincialis iure Constitutionum in aliquibus casibus possit nominare Vicarium Prouincialem, in hoc tamen iure, & facultate non succedit Vicarius Prouincialis, etiam si sit in capite; sed casu quo morte, vel alio titulo defecerit, in officio Vicarij Prouincialis succedunt, qui iure nostrarum Constitutionum sunt vocati Prouincialatu vaccante, absque substitutione Vicarij

Pro-

Prouincialis. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si Prouincialis mori contingat, absque eo quod nominet Vicarium Prouincialem in sui officij successorem, tunc temporis sit in libera potestate Magistri Generalis confirmare in Vicarium Prouincialem talis Prouinciæ, Commendatorem domus futuri Capituli Prouincialis; vel si maluerit alium ex Patribus ad dictum officium nominatis ab ipsis Constitutionibus, vel quem ius alium ex tota ipsa Prouincia, pro sua voluntate, pro vt melius iudicauerit. Et in hoc sensu sunt legitimè intelligenda verba Constitutionis in hoc capite: vel in eo casu Magister prouideat in illa Prouincia quisquis debeat esse Vicarius Prouincialis. *Ex declaratione Capituli Bilbilitani à Clemente VIII. confirmata, apud Barg. pag. 503.*

Si Prouincialatus vaccauerit per renuntiationem, non poterit Prouincialis renuncians nominare successorem Vicarium Prouincialem; sed succedant in tali officio à Constitutione nominati, casu quo vaccet Prouincialatus absque institutione Vicarij Prouincialis, eo ordine quo decreto antecedenti est exposita, & declarata Constitutio. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si Prouincialis fuerit impeditus bello, peste, vel alio titulo, taliter quod neque per se maiorem partem Prouinciæ gubernet, neque pro illa Vicarium Prouincialem instituerit, qui eius loco moderamini Prouinciæ inuigilet: poterit Magister Vicarium Prouincialem nominare, cum omnimoda facultate iuxta nostras Constitutiones, vsque dum Prouincialis gubernio sit expeditus, vel Vicarium suum instituat. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Licet Prouincialis infirmitate, absentia, vel alio titulo impeditus, Vicarium Prouincialem iuxta facultatem nostrarum Constitutionum instituerit, non intelligatur talem Vicarium morte succedere in officio, nisi id specialiter in literis patentibus declaretur, sed tunc temporis succedant nominati à Constitutionibus, veluti si nullum Vicarium, & successorem nominasset. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. VIII.

De prima die Capituli Prouincialis.

VBi in hoc capite dicitur: fiat electio duorum sociorum ipsius Prouincialis, dicatur: quatuor sociorum, duorum inquam Diffinitorum, & duorum Electorum Generalium, &c. Et etiam explicetur, dummodo non fuerint eodem titulo electi in praecedenti Capitulo; poterunt tamen, qui fuerunt Diffinitores, eligi in Electores, & ècontra. *Ex consuetudine in hoc Capitulo laudata, & approbata.*

Si quis Diffinitor, aut Elector Generalis infirmari contigerit, aut sit aliqua causa legitima impeditus, instante tempore celebrationis Capituli, poterit Prouincialis simul cum Diffinitoribus Prouinciae, alterum illius loco eligere, & substituere, ordine supra capite 3. huius dist. statuto, etiam si legitime impeditus titulum suum renuntiare noluerit, absque praeiudicio tamen iuris eius, si fortè impedimentum cessauerit, & Capitulo interfuerit, tunc temporis enim iure suo gaudebit, ac electioni suffragabitur; etiā si alter eius loco electus fuerit. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si Diffinitor Prouinciae ab illa abfuerit, & Diffinitorium pro emergentibus casibus sit congregandum, poterit Prouincialis simul cum alijs Diffinitoribus, loco absentis alium eligere, qui vocem in Diffinitorijs habebit. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Si quae debita in Conuentu tempore Capituli remanserint, non soluta de quibus ab ipso Commendatore, & depositarijs ratio ad Capitulum non transmittatur; illa debita Commendator, & depositarij non exprimentes irrelaxabiliter exsoluat. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 247. col. 4.*

CAP.

CAP. IX.

De secunda die Capituli Prouincialis.

IN Diffinitorio Capituli Prouincialis, conueniant Præsidens Capituli, Prouincialis electus, & Prouincialis, vel Vicarius Prouincialis absolutus, & quatuor Diffinitores Prouinciæ: qui omnes habent suffragium decisiuum, tam in electionibus Commendatorum, quàm in decretis, quæ pro bono regiminis, & Prouinciæ reformatione statuuntur: & Prouincialis absolutus, vel Vicarius Prouincialis habet locum immediatum à dextris Præsidentis in omnibus Congregationibus, vsque ad absolutionem Capituli. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prouincialis absolutus, vel eius Vicarius, seu Visitator manifestare debet in Diffinitorio, quæ ex suis Visitationibus reformatione digna repererit, & notauerit, vt præseruentur, vel corrigantur, prout conuenientiùs videatur, & causas omnes, informationes, & processus in suo triennio formatos, teneatur successori traddere, minimèque comburantur, nisi eorum Fratrum, qui è vita iam decesserint. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

In fine huius capitis, vbi dicitur: Prouincialis de consilio Diffinitorum, addatur: Præsidens Capituli de consilio Prouincialis electi, & absoluti, & Diffinitorum, &c. deleaturque Prouincialis, iuxta ea, quæ supra cap. septimo notantur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. X.

De tertia die Capituli Prouincialis.

VBi in hoc capite dicitur: *Postea solus Prouincialis, &c.* eius loco sic apponatur: Posteà solus Præsidens Capituli cum Prouinciali electo, Prouinciali absoluto, & Diffinitoribus, &c. consequenter ad ea quæ superius sunt notata. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Nul-

Nullus Diffinitor Capituli Prouincialis, sub pœna priuationis officiorum, durante suo officio, poterit esse Commendator; neque qui per triennium fuerit Prælatus in vno Conuentu, potest eligi in Commendatorem eius domus in triennio immediatè sequenti; benè tamen in alia, si reperiatur idoneus. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 205. col. 3.*

Si in electionibus Commendatorum, vel in his quæ à Diffinitorio decernuntur, suffragia sint diuisa in partes æquales, præualebit pars cum qua concordauerit Præses: quod etiam est obseruandum, quoties in discursu triennij ad aliquid decernendum, vel electionem faciendam conuenerint Diffinitores, vtpotè si eligendus fuerit Diffinitor Prouinciæ, vel Diffinitor, aut Elector Capituli Generalis, & suffragia paria fuerint, ius eligendi aliquem ex suffragatis, vel quemlibet alium, aliàs idoneum maneat apud Præsidem Diffinitorij. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XI.

De quarta die, & absolutione Capituli Prouincialis.

VBi dicitur in principio huius capitis: quarta die conueniant omnes in Capitulo, addatur: Ibique à Præside Capituli, fiat oratio breuis, spiritualis, & deuota, qua Prælatos electos in munere sui officij exequendo instruat, dirigat, & moneat. Deinde à Secretario Capituli coram omnibus legantur decreta & statuta à Diffinitorio, pro maiori reformatione eiusdem Prouinciæ, vlterius etiam legatur edictum sanctæ Inquisitionis. Posteà stans Præses Capituli, alij flexis genibus, &c. prout in Constitutionibus. *Ex consuetudine in hoc Capitulo laudata, & approbata.*

CAP.

CAP. XII.

De officio Prouincialis.

PRouincialis in Conuentuum Visitationibus, licentias confessiones audiendi Confessarijs non graduatis suspendat, donec nouo examine approbentur. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 246. col. 4.*

Nulli Religioso licentiam sacros Ordines suscipiendi concedat, nisi elapsis à professione tribus annis. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bull. fol 247. col. 2.* Neque laicum aliquem possit ad statum Clericalem promouere, neque licentias, vt ad minores, vel sacros Ordines promoueatur valet concedere, inconsulta sacra Congregatione Regularium, & sine illius expressa approbatione, sub pœnis excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda; in quo etiam taxatur potestas Magistro Generali, sub eisdem pœnis. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 253.*

Licet Prouincialis per absentiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum, possit Vicarium Prouincialem nominare ad regimen Prouinciæ, durantibus supradictis impedimentis, non sufficiet hæc nominatio, vt per mortem in officio Vicarij Prouincialis succedat, nisi id specialiter in litteris patentibus exprimatur; sed tunc temporis succedent in officio Vicarij Prouincialis, à Constitutione capite 7. huius distinctionis vocati, eo ordine, quo ibidem est notatum. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Non licet Prouinciali expedito ad gubernationem suę Prouinciæ nominare Vicarium Prouincialem, neque mittere illum ad suffragandum in Capitulo Generali, nisi taliter sit omnino impeditus, vt gubernationem suæ Prouinciæ non administret. *Ita decreuit hoc Diffinit. Murciense, iuxta verba Constitutionis, tam in hoc capite, dum Prælatorum multitudinem euitare prætendit, quàm ex capite 3.*

hu-

huius distinctionis, dum dicit: Si Prouincialis fuerit omnino impeditus.

Ex hoc capite esse delendum ab illis verbis: *In Prouincia autem Castellæ, &c.* vsque ad: *diuisæ permanserint,* inclusiuè, quia iam sunt diuisæ Prouinciæ Castellæ, & Vandaliæ. *Decreuit hoc Capitulum Murciense.*

CAP. XIII.

De statu omnium Prouinciarum.

PRæter duodecim Magistros, & viginti quatuor Præsentatos designatos in hoc capite, in qualibet Prouincia sunt quatuor Præsentati pro Prædicatoribus, & Concionatoribus; duæ statutæ infra capite 25. & aliæ duæ, ex decreto Capituli Generalis Guadalfaxarensis de anno 1618. à Paulo V. confirmato, apud librum maiorem fol. 161. & in hoc Capitulo designantur aliæ duæ pro qualibet Prouincia, ob multitudinem de illis benemeritorum, ne exiguitas præmij, sit causa negligentiæ in ministerio concionandi verbum diuinum. Supplicaturque Sanctissimo pro parte totius Diffinitorij, vt pro sua benignitate id concedere, & hoc decretum confirmare dignetur.

Quælibet Prouincia in Capitulo Generali habeat quinque Electores, Prouincialem scilicet, duos Diffinitores, & duos Electores. *Ex decreto huius Capituli iuxta notata supra capite 3.*

Prouincia Aragoniæ, constituitur ex Monasterijs Regni Aragonum, Cathaloniæ, Nauarræ, & Sardiniæ, demptis Conuentibus Tortosæ, Tarrachonæ, Teruel, & Sarrion, qui simul cum Conuentibus Regni Valentiæ, Maioricæ, & Oran Prouinciam Valentiæ constituunt. *Ex Bulla Clementis VIII. apud Bargas, pag. 416.*

In Prouincia Aragoniæ, circa electionem Prouincialis, seruetur alternatiua: ita, & taliter, quod vna vice, Prouincialis sit ex Cathalonia, vel Sardinia; & alia vice, Regni Aragoniæ, & Nauarræ, dummodo reperiatur per-

persona habilis, & requisita habens ad officium Prouincialis exercendum. *Ex eadem Bulla vbi supra, pag. 419.*

Hęc alternatiua debet pensari, non penes originem, & filiationem naturalem, sed iuxta professionem in Religione: taliter quod, qui professionem emisserit in Cõuentibus Aragoniæ, vel Nauarræ, poterit esse Prouincialis in eius alternatiua, etiam si natione sit Gotolanus, & è contra. *Ita decreuit Capitulum Matritense, apud librum maiorem, fol. 67. ex authoritate Pauli V. illi commissa apud Bullarium, fol. 212.*

Et insuper (vt aliqua occasio præiuditij alicui parti penitus euellatur) decreuit hoc Capitulum, quòd nemini faueat adoptatio in Conuentibus alicuius partis, vt illius alternatiua gaudere possit; sed semper debet pensari penes filiationem, ex reali professione emissa. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Redemptores Prouinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad redimendos captiuos proficiscuntur simul eant: neque aliqua inter eos sit superioritas; sed vnusquisque suum librum deferat, vbi adnotabit omnia ad Redemptionis munus pertinentia, sicut Redemptores Castellæ, & Bethicæ faciunt. *Ex Clemente VIII. apud Bargas, pagina 419.*

In qualibet Prouincia designetur Coronista, qui res gestas, & notatu dignas illius Prouinciæ scribat, vt faciliùs deinde historijs, & Coronicis annectantur. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 248.*

Prætereà, in qualibet Prouincia, expensis ipsius carceres designentur, in quibus Religiosi pro qualitate criminum detineantur, & purgentur; vt iuxta decretum Sanctissimi Vrbani VIII. eorum incorrigibilitas tentetur; & pro expensis, tam ad formationem carcerum, quàm ad sustentationem delinquentium, Conuẽtus Prouinciæ, iuxta dispositionem Prouincialis contribuant. *Ex decreto huius Capituli.*

Vlterius, in qualibet Prouincia depositum instituatur, in quo processus, & causæ Religiosorum seruentur, simulque formetur liber, in quo notentur causæ, seu processus; ita vt registratæ maneãt, quę omnia Prouinciales,

 suc-

successoribus suis fideliter conferre tenentur. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Ex hoc capite est delendum ab illis verbis: *Prouincia autem Castellæ,&c.* vsque ad illa: *Æqualiter diuidantur*, inclusiuè. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Hic etiam notanda veniunt, quæ supra capite 4. de officio Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ aduertimus; & de priuilegijs, gratijs, & exemptionibus, quibus fruuntur hij, qui laudabiliter in tali officio se exercuerint.

Item debent notari, quæ supra capite 21. de Apostatis, & ad alias Prouincias (absque Magistri licentia) transeuntibus aduertimus.

Denique circa illa verba: *In quolibet Conuentu Ordinis tres sint Consiliarij*, debet addi: Omnes Patres graduatos esse Consiliarios; & vbi non fuerint tres graduati, Magister Nouitiorum, Vicarius, & Prædicator Conuentus, sunt in consilium vocandi. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XIV.

De Vicario Magistri.

LIcet Magister Generalis, dum in Hispania commoratur, non possit nominare Vicarium Generalem in aliqua Prouincia: poterit tamen mortuo Prouinciali, non solùm, vt in Capitulo præsideat; sed etiam, vt eam exerceat iurisdictionem, quam ipse exerceret, si præsens adesset, Vicarium Generalem nominare, licet dictus Prouincialis Vicarium Prouincialem substituerit. *Ex decreto Bilbilitano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 201. col. 1.*

Vicarius Magistri in Capitulo Prouinciali præsidet, vsque ad absolutionem Capituli: & in omnibus electionibus, ordinationibus, & decretis, à Diffinitorio faciendis vocem, & votum decisiuum habeat. *Ita declarauit hoc Capitulum Murciense.*

CAP.

De aſsignatione Commendatorum.

ITa debet incipere hoc caput: Commendatores domorum Ordinis noſtri, à Præſidente Capituli Prouinciali electo, & Prouinciali abſoluto, & quatuor Diffinitoribus deſignentur & prouideantur, &c. *Ex decreto huius Capituli Murcienſis.*

Commendatores, ſine Generalis, aut Prouincialis licentia ædificationes, nec incipiant, nec proſequantur, ſemperque Choro ad omnes officij horas (vt alijs bono exemplo ſint) quauis poſtpoſita occupatione, intereſſe non recuſent. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 246. col. 4.*

Omnino inhabilis ad omne officium gubernationis habeatur, quicumque Commendator, qui vel ſemel Conuentum, quem gubernauerit debitis obſtrictum reliquerit. *Ex eodem ibidem fol. 247. col. 4.*

Nullus Commendator, ſub pœna obedientiæ, & priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ, per tres annos poſſit vllo prætextu ſolus expendere, vel etiam recipere aliquid ad Monaſterium pertinens, ſine præſentia, vel ſcientia Depoſitariorum; quod ſi Depoſitarij abeſſent, tunc tenetur vocare aliquem ex ſenioribus. Et ſub eiſdem pœnis, nequeat Commendator per ſe ipſum ſolum, facere computum (etiam Procuratore aſſociatus) ſed hoc computum fiat publicè ad ſonum campanæ, ita vt poſsint omnes quotquot voluerint adeſſe. Sed neceſſario aſsiſtere debent Commendator, Depoſitarij, Sacriſta, Procurator, expenditor, vel eorum maior pars, qui ſub pœna excommunicationis maioris non permittant, quod expenſæ confusè adnotentur, ſed diſtinctè ſcribantur, tam res emptæ, quàm receptæ: ſcribendo nomina perſonarum à quibus res emptæ, vel receptæ fuerunt. Et ſub eiſdem pœnis præcipitur Depoſitarijs, ne in libris computorum aliquid apponant, vel apponi permittant, ſeu ſubſcribant, quod realiter coram ipſis, nõ fuerit enume-

ratum, & consignatum, & in capsa depositi repositum. *Iuxta Bullam Clement. VIII. apud Bullarium, fol. 216. numero 19. & Vrbani VIII. ibidem, fol 246. col. 4.*

Sub pœna excommunicationis maioris, & priuationis officij præcipitur, quod nullo modo possint Commendatores pecunias pro Missis celebrandis largitas consumere: neque è capsa communis depositi extrahere, nisi prius satisfactum fuerit obligationi, & Missæ sint celebratæ. *Ex decretis Clementis VIII. apud Bull. fol. 217. n. 10. & Vrb. VIII. fol. 247.*

Commendatores intra triennium Religiosis omnibus Conuentualibus vestuarium præstare tenentur, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in Capitulo proximè futuro, etiam si aliàs Magistri, vel Præsentati extiterint. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Commendatores à suis Conuentibus notabiliter non recedant, sine licentia superiorum. Si autem iter egerint, hoc Conuentu expensis non fiat, nisi quando in vtilitatem ipsius Conuentus vergit. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 246. col. 4. & Clemente VIII. fol. 216. n. 12.*

Commendatores non possunt dare licentiam suis subditis exeundi extra Ciuitatem vltra quatuor dies; & non, nisi ex rationabili causa. Sed si casus aduenerit ita præcisus, vt non possit facilè haberi recursus ad Prouincialem, & in mora esset periculum: tunc Commendator Monasterij de consilio Consiliariorum licentiam concedere possit, transmittendo Prouinciali statim copiam causæ, propter quam fuit motus ad eam concedendam. Circa licentiam verò exeundi à Monasterio ad Ciuitatem, conscientia Prælatorum oneratur, ne de facili illas concedat, sed solùm ex necessitate. *Ex decreto Clem. VIII. apud Bullar. fol. 215. n. 5.*

In hoc capite delendum est ab illis verbis: *Possessiones insuper,* vsque ad illa: *Aut Diffinitorium in Capitulo.* Et addendum est Commendatores obseruari tenentur Motum proprium Vrbani VIII. circa bona Ecclesiæ non alienanda, *Ita hoc Capitulum Murciense.*

CAP.

CAP. XVI.

De electione Prioris Barchinonensis.

NVllus eligatur in Priorem domus Barchinonensis, nisi fuerit Magisterij, vel ad minus Præsentaturæ, gradu insignitus; & electio aliter facta irrita est, & nullius valoris. *Ex decreto Clem. VIII. apud Bull. fol.* 217. imò debet esse Præsentatus de lectura. *Ex decreto 3. Capituli Murciensis de anno 1636.*

Prior Barchinonensis (qui ex iure nostrarum Constitutionum, vacante Generalatu ante expletum sexsennium, in officio Vicarij Generalis cum plena iurisdictione succedit) si quando dictum Vicariatum adierit, sit solum Præsentatus, ipso facto Magister (ob officij grauitatem, & regimen totius Religionis) habeatur, nominetur, & sit. Et inter Magistros suæ Prouinciæ locum habeat, si per vndecim annos in lectura Artium, & sacræ Theologiæ, cum approbatione sui Capituli se exercuerit. Locus autem antiquitatis computari debet, à die qua Vicariatu Ordinis functus fuit. Si autem Magister fuerit, exemptionibus Prouincialis (sicut si prædicto munere functus fuisset) gaudeat, cum præcedentia ad cæteros Magistros suæ Prouinciæ, & loco immediato omnibus, qui fuerunt Prouinciales, vel erunt. *Ex decreto Vrban. VIII. apud Bull. fol. 248. col. 4.*

CAP. XVIII.

De Visitatore.

VIsitator poterit libros rationales Conuentuum à quocumque tempore visitare, etiam si super ipsos alia, vel aliæ visitationes præcesserint. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bullar. fol. 247.*

Prouinciales in suis Visitationibus summopere inquirant, si Commendatores, à suis subditis munera aliqua ac-

accipiant. Quod si (proh dolor!) eorum aliquos munerum amatores inuenerint, eos proprijs Commendis priuent. Eandemque similiter faciat inquisitionem Magister Generalis per totum Ordinem, tam circa ipsos Cõmendatores, quàm circa ipsos Prouinciales; quod si donorum receptores inuenerint (præcipuè ab illis, quibus officium, vel Commendam contulerint) hos omnes, & singulos, tam Commendatores, quàm Prouinciales proprijs officijs priuet; ipsos etiam publicis pœnitentijs, & castigationibus omni, & summo cum rigore adstringendo, vt illis in correctionem, reliquis verò fratribus sit in exemplum. *Ex decreto Pauli V. apud Barg. fol. 501.*

CAP. XIX.

De appellationibus frustratorijs.

SVb pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, per decennium, & reclusionis per biennium, ac grauioris culpæ præcipitur, quod nullus ex nostris Religiosis possit recusare in suis causis Prælatos legitimos, & ordinarios, nec recusatio sit valida, si illam faciat, donec per duos ex Patribus Commendatoribus propinquioribus, vel per duos Patres Diffinitores, videantur causæ recusationis, an fuerint sufficientes. Super quibus oneramus conscientias Prælatorum, ne dentur pro recusatis, sed obligent illos, quos sententiauerint, ad adimplendam pœnitentiam datam ab eis. *Ex decreto Capituli Matritens. à Paulo V. confirmato.*

CAP. XX.

De litteris deprecatorijs non impetrandis.

SVb pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & inhabilitatis perpetuæ ad obtinendum quodlibet officium præcipitur: ne litteræ deprecatoriæ im-

impetrentur à Religiosis per se, vel per interpositam personam directè, vel indirectè ad obtinendum aliquod officium, vel munus nostri Ordinis; nec ad id fauoribus personalibus vtantur. *Ex decreto Capituli Matritens. à Paulo V. confirmato.*

CAP. XXI.

De non recipiendis Fratribus alienæ professionis.

NVllus Religiosus alienæ professionis, cuiuscumque qualitatis, aut conditionis sit, possit ad nostram Religionem admitti, super quod taxatur potestas Magistri Generalis: Sanctissimusque Vrbanus VIII. irritat, & annullat professionis eorum, qui sic recipiuntur. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato.*

Qui semel professionem emisserunt, & ad seculum regressi sunt, vlterius non possunt admitti de nouo ad Religionem, nisi de licentia Magistri Generalis. Vel nisi in articulo mortis humiliter habitum, & professionem petierint. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XXIII.

De Fratribus iter agentibus.

SAcerdotes iter agentes vbicumque occasionem sacrũ celebrandi repererint non prætermittant. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Constit. fol. 139.*

Nulli Religioso causa infirmitatis detur licentia, de Monasterio exeundi ad domos seculares, super quod conscientiæ Prælatorum onerantur. *Ita hoc Capitulum Murciense.*

Nullus Religiosus, vbi Conuentus nostræ Religionis fuerit, extra claustra pernoctare audeat, etiam in domo

mo

mo parentum, vel consanguineorum. Prælatusque ad id licentiam non concedat, nec sibi summat, nisi ex obedientia, vel ex causa omnino necessaria. *Ex decreto Clement. VIII. apud Bullar. fol. 215. & Vrb. VIII. ibid. f. 247.*

Præterea, nullus audeat ingredi Curiam Regiam, nisi immediatè post duodecim horas Commendatori, Conuentus Matritensis se præsentauerit. Quod si aliquis contrarium fecerit, à Commendatore incarceretur, donec à Prouinciali veniam recipiat. *Ita hoc Capitulum Murciense.*

CAP. XXIV.

De bonis temporalibus.

SVperiores Ordinis quacumque authoritate, seu facultate sint præditi, nullo modo possint extrahere bona quæcumque ex vna Prouincia ad aliam. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullarium.*

Similiter sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per sex annos, ac suspensionis exercitij Sacramentorum precipitur: quod nullus superiorum Monasterij possit alienare, aut expendere legitimas, aut hæreditates Monasterij, & aliqua quæcumque bona immobilia, seu mobilia prætiosa, sine expressa licentia sanctæ Sedis Apostolicæ. Quod si secus factum fuerit, superior Conuentus delinquens, ipso facto incurrat omnes pœnas, à Sanctissimo Vrbano VIII. assignatas. Et subditi illius possint ab eo auferre obedientiam, & illam dare Vicario, vel antiquiori Monasterij, ac sub eisdem pœnis præcipitur, ne noui census sine licentia Generalis Magistri super bonis Monasterij fundentur. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullarium, fol. 216.*

Commendatores, sine licentia Generalis, aut Prouincialis, ædificationes in suis Monasterijs, nec incipiant, nec prosequantur. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bullarium, fol. 246.*

In

In quolibet Conuentu duo sint Depositarij, seu Clauarij, qui liberè eligātur, & nominentur, per suffragia libera, & secreta Fratrum eiusdem Conuentus, nec aliter possint Commendatores illos designare, seu nominare, sub pœna priuationis officij. *Ex decreto Bilbilitano à Clemente VIII. confirmato, apud Bullarium, fol 205. pag. 3.*

Nullum negotium, ad bona temporalia Conuentuum pertinens, quod Patribus in Capitulo proponi necessarium sit, eodem die, quo proponitur resoluatur; sed in diem sequentem, qua propositum fuit differatur resolutio. Præcipiturque Patribus Commendatoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis officiorum, ne in contrariū huius decreti quidquam agant, idque obseruetur quotiescumque re graui, cuiuscumque materiæ illa sit, proposita Conuentui, aliquis ex fratribus affirmet, se ad illius resolutionem consultatione, & studio indigere. *Ex decreto Toletano in hoc Capitulo laudato, & approbato.*

Sub eisdem pœnis præcipitur Commendatoribus, ne supplicas, & petitiones, quæ pro negotijs Conuentuum mittuntur ad superiores subscriptæ nominibus Religiosorum, subscribere compellant, quin prius in Capitulo pleno legantur, ibique publicè, ab omnibus subscribantur. Et sub pœna grauioris culpæ per duos menses præcipitur Religiosis, ne aliter prædictas petitiones subscribere audeant, vel præsumant. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XXV.

De Magistris, & Præsentatis.

Requisita ad gradum Præsentaturæ in aliqua Prouincia obtinendum, iuxta nostras sacras Constitutiones, statuta reformationis, & decreta Apostolica sunt quinque anni Lecturæ Artium, vel sacræ Theologiæ, vel sacræ Scripturæ in Vniuersitate approbata, vel in Domo, aut Collegio Religionis studijs destinato, de licētia, & de

nominatione Magistri, vel Prouincialis; & quod singulis prædictis annis publicas Conclusiones præsideat: de quibus omnibus per legitimas, & authenticas probationes constet. Et ad gradũ Magisterij, vltra prædictos quinque annos, requiruntur alij sex in Lectura Artiũ, vel Theologiæ, vt supra, & eadem forma examinati: & quod vlterius, per præsidentiam in publicis Conclusionibus Capituli Generalis, vel Prouincialis probetur. *Ita decreuit hoc Capitulum Murciense.*

Nullus ad Lecturam Artium, vel sacræ Theologiæ promoueatur, nisi facta oppositione, in qua per vnam horam de materia sortita, per viginti quatuor horas antecedentes, publicè legat; & per spatium alterius horæ argumentis oppositorum satisfaciat. Quo examine acto, tanquam sufficiens approbetur. Quod si prædicta probatione omissa in Lecturâ aliqua se exercuerit, nullius esse valoris ad prædictos gradus obtinendos declaramus. *Iuxta decretum Toletanum ab Vrbano VIII. confirmatum.*

Hoc examen fieri debet in materia Lecturæ ad quam promouetur. Nec sufficit approbatio ad Lecturam Artium, vt pro Theologia approbatus quis iudicetur, neque ècontra. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Anni supradicti Lecturæ ad gradus obtinendos, debent esse completi, taliter, quòd pro vno anno, non possint admitti duo cursus, sed singuli, singulis annis respondere debent, aliàs irritos, & nullos esse. *Declarauit hoc Capitulum Murciense.*

Nullus ad gradum Præsentaturæ exponatur, nisi prius ad Bachallaureatus gradum, in aliqua Vniuersitate sit admissus, vel à Magistro Ordinis sit promotus obtenta facultate à Sanctissimo impertiendi talem gradum, super quo fit supplicatio suæ Sanctitati. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prædicta requisita, ad gradus Præsentaturæ, & Magisterij de numero designata, minimè possunt suppleri per alia merita, exercitia, vel obsequia Religioni exhibita, cuiusvis qualitatis extiterint. Quod si in posterum aliqui tales gradus absque prædictis requisitis & conditionibus receperint, ex nunc tanquam irriti, & nullius va-

lo-

loris, gratiæ, seu præeminentiæ esse declarat hoc sanctumDiffinitorium, in memoriam reuocans, & obseruari præcipiens Bullam Sanctitatis Pauli V. ad hunc effectum specialiter expeditam. Salua semper authoritate Apostolica in prædictis dispensandi. *Ex libro maiori fol. 129. & 144. & ex Bargas tom. 2. pag. 501.*

Probationes, seu informationes annorum Lecturæ fieri debent immediatè ab ipsis Prouincialibus, vel suis Visitatoribus, specialiter in scrutinio secreto visitationum; & publicè per testimonia sanioris partis Conuentus. Neque ad hunc effectum commissionem tribuat, nisi tempus celebrationis Capituli instet, & ad tales Conuentus Prouincialis non perueniat. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullarium, fol. 248.*

Probationes, & informationes Lecturarum supra dicto modo factæ, præsentari tenentur in Capitulo Prouinciali coram Diffinitorio, & ibidem examinari, & approbari, quæ approbatione dignæ repertæ fuerint; in quo examine habeant ius se opponendi Lectores quilibet, qui rationes aliquas in contrarium proponendas habuerint: & hac rigurosa annorum Lecturæ facta admissione, iudicantur sufficienter approbati, ad obtinendos gradus Præsentaturæ, vel Magisterij, quicumque, ab ipso Diffinitorio declarantur exactè adimpleuisse omnia requisita, ad tales gradus obtinendos. Et de hoc examine est intelligenda Constitutio in hoc capite, dum dicit: *Tales verò, & non aliàs de consilio Diffinitorum Capituli exponantur, &c.* Quare poterit Capitulum Generale, vel Magister (ad id facultate Apostolica gaudens) confirmare quemlibet ex ita approbatis in gradu Magisterij, vel Præsentaturæ, quoties aliquem vacare contigerit. Teneanturque Prouinciales immediatè post celebratumCapitulum suæ electionis, mittere ad Magistrum testimonium fidem faciens de omnibus, qui ad tales gradus in illo Capitulo fuerint tanquam idonei admissi. *Ita decreuit, ac declarauit maturè (varijs decretis perpensis) hoc Capitulum Generale Murciense.*

Magister Generalis, extra Capitulum Generale loco, & vice talis Capituli, potest confirmare in gradibus

Præsentaturæ, & Magisterij, quotiescumque aliquem vacare cõtigerit, quemlibet ex admissis à Capitulo Prouinciali, cum requisitis, & conditionibus supra notatis. *Ex Bulla Pauli V. apud Bullar. fol. 223.*

Et hac eadem authoritate gaudet Prior Barchinonensis, dum officio Vicarij Generalis totius Religionis fungitur. Et quilibet alius, qui tali munere Vicarij Generalis totius Ordinis condecoretur. *Iuxta decreta nostrarum Constitutionnm.*

Præter dictas Præsentaturas de numero in qualibet Prouincia, sunt duæ aliæ pro Prædicatoribus, & Concionatoribus verbi diuini: & additæ sunt aliæ duæ ex decreto Capituli Generalis de Guadalaxara de anno 1618. à Paulo V. confirmato. Et præter illas iudicabit expediens hoc Diffinitorium addere alias duas, ob multitudinem de illis benemeritorum, ne exiguitas præmij, sit causa negligentiæ in ministerio concionandi verbum diuinum. Pro quo supplicatur Sanctissimo, vt huiusmodi supplicationibus annuere dignetur. Qui omnes, eisdem conditionibus, & requisitis à nostris Constitutionibus, in fine huius capitis, exponi, confirmari, & admitti debent. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

In quolibet Conuentu, vbi prædicti Graduati ressederint, sunt de consilio Commendatoris, ad specialia negotia, iuxta nostras Constitutiones conferenda. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XXVII.

De ordine sedendi.

VT omnino deinceps litigia circa ordinem sedendi vitentur inter Magistros, & Præsentatos, seruetur ordo iuxta gradus, non verò professionis antiquitatem. Diffinitores Prouinciæ, & Diffinitores, ac Electores Generales, si sint Magistri, præcedant omnes alios Magistros; si verò Magistri non fuerint, sint Magistris immediati, etiam si non sint Præsentati, inter ipsos tamẽ ordo an-

antiquitatis feruetur. Hæc ita sunt extra Capitulum: intra Capitulum verò, si sit Prouinciale, Diffinitores Prouinciæ antecedunt omnes, excepto Præsidenti, & Prouincialibus electo, & absoluto. In Capitulo verò Generali, Prouinciales sint immediati Præsidenti, iuxta Prouinciarum antiquitates; deinde Prior Barchinonensis, si non præsideat, posteà Procurator Generalis Curiæ Romanæ, posteà Diffinitores Generales iuxta antiquitatem suarum Prouinciarum; & denique eodem ordine, succedant omnes Electores Generales. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullarium fol. 249. & ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Prior Barchinonensis intra Prouinciam Aragoniæ, si fuerit Magister, omnes alios Magistros præcedat; si autem Præsentatus extiterit, omnes alios antecedat Præsentatos. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

Patres Prouinciæ, seruent inter se Prouincialatus sui antiquitatem, etiam si alio fungantur officio: Socij Magistri Generalis locum habeant immediatum Patribus Prouinciæ, in qua extiterint; ita, vt omnes Magistros præcedant, & Patres graduati aliarum Prouinciarum in quacumque Prouincia, de licētia superiorum extiterint sint immediati graduatis talis Prouinciæ: ita, vt si fuerit Magister sit immediatus omnibus Magistris, & si Præsentatus omnibus Præsentatis. *Ex decreto huius Capituli Murciensis.*

CAP. XXVIII.

De Confessoribus, & Confessionibus.

HOc caput coincidit cum cap. 27. primæ distinctionis. & nihil in hoc additur, quod ibi non fuerit statutum. Et ideò tanquam superfluum videtur amputandum.

CAP. XXIX.

De sepultura Fratrum.

BOna stabilia,& ad legitimam Fratris è vita decedentis pertinentia, quæ iuxta Constitutionem spectant ad domum, vbi professionem emisit, sunt conferenda,& veniunt in ius Monasterij, vbi talis Religiosus habitum Religionis suscepit. *Ex decreto Clement. VIII. apud Bullar. fol. 227. n. 24.*

Bona verò mobilia, sic distribuantur: Habitus enim, & vestes, inter Religiosos magis indigentes: libri verò, à Magistro, vel Prouinciali Conuētibus studiorum (prout meliùs expedierit) impertiantur; alia tamen bona præciosa (si quæ fuerint) solutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes æquales diuidantur; quarum prima Conuentui, in quo habitum suscepit tribuatur; altera Prouinciali pro expensis Prouinciæ conceditur; alia Conuentibus Prouinciarum capitibus, vbi Magister assistere consuescit; pro eius sumptibus impertiatur; vltima denique ad Magistrum, pro expensis sui officij, & negotijs Curiæ Romanæ mittatur. *Ex decretis Capituli Optensis, & Burtinensis, in hoc Murciensi laudatis, & approbatis.*

QVibus omnibus, diuersis sessionibus, maturè in hoc sancto Diffinitorio collectis, & vnanimi omnium consensu decretis, vt in aptiorem formam, & obseruantię magis oportunam ordinarentur, vniuersum sanctum Diffinitorium authoritatem suam, & facultatem, quam ex vi nostrarum Constitutionum cap. 1. distinctionis 2. gaudet, ea meliori forma, via, & modo, quo poterat, & necessarium esset substituit, & substituere dixit, in authoritate nostri Reuerendiss. Generalis electi, vt hæc decreta ordinaret, & singulis capitibus insereret, & in editione actorum huius Capituli typis mandaret, vt quam primum posset ad omnes Prouincias (pro eorum obseruatione) remitteret. Insuperque omnem suam authori-

ta-

tatem subſtituit, vt nomine totius Diffinitorij, & Religionis suppliciter oraret Sanctiſsimum pro confirmatione horum decretorum, vt efficaciùs perpetuam obſeruationem aſſequantur, & vel poſſet illa contextuare in capitibus noſtræ Conſtitutionis, prout clariùs viſſum fuerit; vel in noua impreſsione Conſtitutionum, per modum ſcholiorum ſingulis capitibus, prout ſuperius ordinata ſunt adaptare.

Pro parte computatorum (qui ad computa omnia in hoc Capitulo examinanda deſtinati fuere) ſunt exhibita, & oblata Diffinitorio, computa ſumptuum, & receptionum, quæ in adminiſtratione officij Magiſtri Generalis habuit Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus D. D. Fr Ildefonſus de Sotomaior Archiepiſcopus Oriſtanenſis toto tempore, quo prædicto officio Magiſtri Generalis potitus fuit. Viſsiſque omnibus numeris, tam ſumptuum, quàm receptorum, & coram pleno Diffinitorio lectis, & ab ipſo auditis, & omni rigore examinatis pro legitimis, veris, & fidelibus ab omnibus habita, & pronuntiata fuerunt. Et quamuis ratio ſumptus in notabili quantitate, rece ptorum rationem exceſſerat Illuſtriſsimus D. Archiepiſcopus eam Religioni remiſsit, & à debito abſoluit affectum ſuum erga Religionem, & Conuentus illius manifeſtans, atteſtando, quòd plurima alia bona vellet habere, vt ea libentius Religioni donaret. Quæ attendens ſanctum Diffinitorium, præcipuè ea, quæ in ſingulis Prouincijs, & eorum Conuentibus in fabricis, ſupellectilibus prætioſis, librorum impreſsionibus, & alijs ſumptibus, ad Religionis ſplendorem concernentibus conſumpſerat; grata illi pro ſingulari beneficientia, & fideli adminiſtratione, rependere ſatagens, decreuit: quòd ſingulis annis vitæ ſuæ, in die ſancti Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani in Conuentu Hiſpalenſi, & in alijs Monaſterijs Prouinciarum, Hiſpaniæ capitibus, pro Illuſtriſsimæ ſuæ Dominationis vita, & ſalute feſtiua ſolemnitas cum Miſſa, & concione celebretur; & quod in Conuentu ſancti Adriani in Vrbe, vbi liberalibus ſumptibus Templum renouauit, & in ſplendidiorem formam erexit, die, inter Reuerendiſsimum Generalem

ele-

 electum, & Procuratorem Romanæ Curiæ collato, & decreto, Missa etiam solemnis celebretur; & post suæ Illustrissimæ Dominationis obitum in supradictis Conuentibus (addito Cæsariensi, singulari fauore illustrato) solemne Anniuersarium quotannis celebretur. Denique sanctum Diffinitorium orauit suam Illustrissimam Dominationem, vt pro sepulchro, & zenotafio suo vnam ex capellis Conuentus magni Hispalensis (quæ hodie speciali Patrono carent) eligere dignetur. & respectiuè talis Conuentus Hispalensis teneatur, locum & capellam, à sua Illustrissima Dominatione signatam, pro cineribus condendis, statuere, & donare.

Deinde præsentatæ fuerunt, & oblatæ sancto Diffinitorio, computationes sumptuum, & receptorum R. P. M. Fr. Iacobi de Castellar Prioris Barchinonensis, de tempore, quo officium Vicarij Generalis totius Religionis exercuerat: quibus visis, & auditis, & omni rigore, à computatoribus examinatis, & approbatis ab ipso sancto Diffinitorio, tanquam legitimæ pronuntiatę fuere. Et quamuis in aliqua quantitate, sumptus excessit recepta, ipse R. P. Prior Barchinonensis eam Religioni remisit, pro quo sanctum Diffinitorium ei gratias retulit.

RESPONSIONES PETITIONVM.

PEtitioni P. M. Fr. Ignatij Vidondo filij Prouinciæ Aragonum petentis, quòd sanctum Diffinitorium nominaret aliquos Patres ex eadem Prouincia, vt computorum rationem, ab ipso summerent eorum, quæ in Redemptione captiuorum ab eodem facta anno 1654. consumpsit. Respondit: quòd facultatem suam concedebat Generali electo, vt per se, vel per aliàs personas ab ipso designatas, & sigillatas, prædictorum computorum rationem accipiat.

Petitioni Conuentus Barchinonensis Aragonum Prouinciæ, in qua exposcit, vt sanctum Diffinitorium confirmet concordiam initam inter prædictum Conuentum,

tum, & Michaelem Saluador Farmacopolam eiusdem Conuentus, super debitum 2050. librarum monetæ Barchinonensis contractum ex diuersis farmacopolis pro infirmis præstitis, quarum solutio septem annis immediatis fieri debet, iuxta prædictam concordiam publicis scripturis firmatam. Respondetur: sanctum Diffinitorium approbare prædictam concordiam, & confirmare præfatas scripturas, eadem forma, qua supplicatur.

Petitioni P.Fr.Michaelis de Garisoain filij Prouinciæ Aragonum poscentis, quòd attentis laboribus perpessis in officio Procuratoris Generalis, quod actualiter in dicta Prouincia exercet, sanctum Diffinitorium ei indulgeat, & concedat omnes gratias, & exemptiones, quibus gaudent, & gaudere solent prædicti Procuratores Generales in dicta Prouincia. Respondetur, prædictum Patrem Fr.Michaelem de Garisoain, ob rationem officij, quo fungitur (in quo laudabiliter se gessit, & gerit) ex nunc frui debere omnibus gratijs, exemptionibus annexis prædicto officio Procuratoris Generalis, cum loco, & voto in Capitulis Prouincialibus, per omne tempus, quo Religioni in tali officio inseruierit.

Petitioni Fratris Atilani Roncal laici, filij Prouinciæ Aragonum, petentis à sancto Diffinitorio ei transitum de statu Religiosi laici, ad statum Religiosi Choristæ concedi; eo quod habitum ad inseruiendum Choro accepit, licet ad officia laici exercenda professionem emiserit. Respondetur, sanctum Diffinitorium non posse id concedere inconsulta Sede Apostolica.

Petitioni P.F.Ioannis de Salinas filij Prouinciæ Castellæ, in qua à sancto Diffinitorio poscebat, confirmationem in gradu Præsentaturæ supernumerariæ prædictæ Prouinciæ, in qua nominatus fuit à Reuerendissimo P. Magistro Fratre Antonio Garuz quondam totius Ordinis Generali Magistro virtute, & facultate à Sanctissimo Innocencio Decimo illi concessa, vt in Prouincijs Castellæ, & Vandaliæ quatuor Præsentaturis supra numerarijs merita, & obsequia aliquorum Religiosorum ordini exhibita, condecoraret; fuit responsum, seruari de-

cretum Capituli Generalis Burtinensis proximè celebrati, & committi discretioni Reuerendissimi Generalis electi, oratorem prædictum, prout melius visum fuerit, honorare.

Petitioni P. Præsentati Fratris Hieronymi de Aruiçu & Angulo, filij Prouinciæ Castellæ, petentis, quòd sanctum Diffinitorium compellat P. Magistrum Fratrem Didacum Henriquez, quondam Conuentus Vallisoleti Commendatorem, ad satisfactionem quorundam bonorum immobilium dicti Conuentus, quæ durante tempore sui officij, sine licentia Sedis Apostolicæ consumpsit. Respondetur, quòd facta inquisitione à Reuerendissimo Generali electo, sua Reuerendissima Paternitas, quidquid de iure fuerit prouidebit.

Petitioni P. Præsentati Fratris Petri Lopez de Cuellar, filij Prouinciæ Castellæ, poscentis, vt aliquas exemptiones, ad leuamen suæ senectutis, dignetur sanctum Diffinitorium illi concedere, attentis multis laboribus, pro obsequio Religionis latis, & expensis pro fabricis Conuentus Toletani exhibitis, de quibus certa instrumenta manifestabat. Respondetur, prædictum Patrem Præsentatum (eo quod in Prouincia de Lima, Præsentatus de numero extiterit) debere frui exemptionibus, quibus gaudere debent Præsentati alienæ Prouinciæ, iuxta decretum ab hoc sancto Diffinitorio super cap. 27. distinctionis 2. nostrarum Constitutionum.

Petitioni eiusdem P. Præsentati Fratris Petri Lopez de Cuellar, exorantis, quòd Religiosi Conuentus Toletani, non exeant ad celebrandas Missas in alijs Monasterijs vel Parrochijs; eo quod ipse proprijs expensis aliquas Capellanias, in dicto Conuentu fundauerit, quarum eleemosynæ æquiualent illis, quibus talis Conuentus pro Missis extra domum celebratis gaudererere solebat, ad obuianda multa, & grauia inconuenientia, talis Monasterij authoritati præiudicantia. Respondetur, Præcipi Commendatori Toletano, qui est, vel erit in posterum, sub pœna priuationis officij, quòd non permittat aliquem Religiosum, extra Conuentum ad Missarum celebrationem exire.

Pe-

Petitioni P. Magistri Fr. Petri Recaudou, filij, & Procuratoris Prouinciæ Galliæ, exorantis, quòd sanctum Diffinitorium dignetur confirmare ea omnia quæ tempore litium à quibuscumque Prælatis fuerunt facta, tam in receptione ad habitum, & Religiosorum professione, quàm in omnibus alijs, ad regimen Conuentuū ipsius Prouinciæ pertinētibus, quamuis à quouis alio Prælato superiori Religionis fuerint anullata. Respondetur, quòd sanctum Diffinitorium tranquillitatem, & pacem prædictæ Prouinciæ desiderans, & Religiosorum scrupula, lites, & alia inconuenientia obuiare satagens, sic, & in quantum valet, & eo meliori modo, & forma, qua potest approbat, & confirmat omnia, quæ tam ab inferioribus, quàm superioribus Prælatis acta fuere, tempore discordiæ in tali Prouincia Galliæ, quauis nullitate, à quouis Prælato Religionis interdicta; & iussit (vt omnis scrupulus conscientiæ de medio tollatur) quod professiones Religiosorum, quæ tempore litis emissæ fuerint reiterentur, & ratificentur.

Petitioni eiusdem P. Magistri Fr. Petri Recaudou, exorantis à sancto Diffinitorio facultatem, & licentiam, vt Prouincia Galliæ possit eligere, & nominare aliquem ex Religiosis eiusdem alumnis, ad munus inferius magis idoneum, scilicet, vt ad Regna Hispaniæ transeat, sub titulo Assistentis M. Generalis pro ipsa Prouincia Galliæ ad negotia eiusdem Prouinciæ dumtaxat, pro bono ipsius regimine, tractanda, & consulenda, cum facultate plenaria talis Prouinciæ sibi concessa, cuius sumptibus, & expensis talis Prouincia succurrere teneatur: fuit decretum remitti Reuerendissimo Generali electo, vt (consulta Maiestate Catholica, & Consiliarijs pro eius statu deputatis) quod magis opportunum fuerit disponat, & decernat.

Petitioni R.P.M. Fr. Didaci Garica, Collegij sancti Laureani Hispalensis Rectoris, orantis sanctum Diffinitorium pro confirmatione decreti Generalis Capituli Barbastrensis proximè præteriti, in quo ordinatum fuerat, quod quilibet ex Conuentibus dictæ Prouinciæ singulis anni diebus duas Missas pro eodem Collegio (fabri-

brica illius durante) celebrare teneatur, fuit responsum: remitti Capitulo Prouinciali dictæ Prouinciæ, in quo Reuerendissimus Generalis electus, simul cum Diffinitorio secundùm possibilitatem Conuentuum, & numerum Religiosorum prædictum onus celebrationis Missarum distribuere valeat.

Alteri supplicationi eiusdem, in qua orabat sanctum Diffinitorium, quòd perpensis his, quæ pro erectione, & fabrica prædicti Collegij laborauerat, assiduèque laborat: dignaretur illi concedere, tale Collegium singulis Hebdomadis anni in perpetuum, ad celebrationem vnius Missæ priuatæ, pro eius intentione, obligari; & talis obligationis memoriã apud protochollum eiusdem Collegij exarari. Respondit: non solùm postulata concedere, verum etiam, quod attendens zelum laudabilem, & mirandum opus, sua vigilantia, ac solicitudine (inter tot temporum angustias) erectum: grates illi referre, & ordinare in memoriam suæ beneficientiæ (ne mortis obliuione tabesceret) post obitum R. præfati Patris Magistri, singulis annis celebrari in dicto Collegio Anniuersarium solemne cum vigilia, & concione; quæ obligatio in eodem libro, & protochollo Collegij, futurorum memoriæ mandetur.

Lecto coram omnibus Edicto Sanctæ, ac Generalis Inquisitionis, finem habuit præsens Capitulum, in honorem, & gloriam Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; necon Immaculatæ Virginis Mariæ Dominæ, ac Patronæ nostræ, ac sanctissimi Patris nostri Patriarchæ Petri Nolasci, die decima mensis Ianuarij anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi octaui.

Fr. Martinus de Allue
Generalis electus.

Fr. Iacobus Castellar, Prior, & Præses Capituli.

Fr. Hiacyntus Iuste, Prouincialis Valẽtiæ.

Fr. Ioannes Assensio, Prouincialis Valaliæ.

Fr. Ioannes Arque Diffinitor Generalis Aragoniæ.

Fr. Iosephus Prats Diffin. Generalis Aragoniæ.

Fr. Ioannes de Contreras Diffin. Generalis Castellæ.

Fr. Iosephus Sanchis Diffin. Generalis Valentiæ.

Fr. Petrus Noguera Roig Diffin. Generalis Valentiæ.

Fr. Ioannes de Salzedo Diffin. Generalis Vandaliæ.

Fr. Rodericus de Montiel, Diffin. Generalis Vandaliæ.

Fr. Ioannes Crespo Diffinitor Generalis Limæ.

Fr. Iosephus Ortiz Diffinitor Generalis del Cuzco.

Fr. Vincentius Bruno Diffinitor Generalis Italiæ.

De mandato Reuerendissimi P. N. Generalis electi, & Diffinitorij.

Fr. Didacus de Luna, Diffinitor, Prouinciæ Aragoniæ, & Secretarius Capituli.

Sic corrige errata notatu digna.

PAgina 4. linea 39. excedente, lege excedentis. Pag. 10. lin. 28. ingresius, lege ingressus. Pag. 15. lin. 24. grauissas, lege grauissimas. Pag. 26. lin. 34. reddierit, lege redierit. Et ibidem, lin. 36. redditus, lege reditus. Pag. 28. lin. 19. Religionis, lege Redemptionis. Pag. 30. lin. 1. X XIX. lege XXX. Pag. 35. lin. 35. nomine, lege nomina-

nare. Pag. 43. lin. 18. derectioni, lege directioni. Pag. 55. lin. 36. iustituatur, lege instituatur. Pag. 66. lin. 14. iudicabit, lege iudicauit. Pag. 69. lin. 1. substltuit, lege substituit.

¶ Et Ego infrascriptus Secretarius, fidem facio huiusmodi trasumptum prædictarum ordinationum, actorumque Capituli, prædictis mendis purgatum, verum, fideleque esse, & cum ipsis originalibus decretis, & actis in libro Religionis exaratis vndequaque conforme. In quorum fidem presens trasumptum manu propria subscripsi, & sigillo minori Ordinis communiui. In hoc Matritensi Conuentio die vigesima Martii supradicti anni.

Fr. Didacus de Luna Mag. Diffin. Aragoniæ Secret.